SYMBOLARUM
DECAS II.

SYMBOLAE
LITTERARIAE
OPUSCULA VARIA
PHILOLOGICA SCIENTIFICA ANTIQUARIA
SIGNA LAPIDES NUMISMATA GEMMAS
ET MONUMENTA MEDII AEVI
NUNC PRIMUM EDITA
COMPLECTENTES
DECADIS SECUNDAE
VOLUMEN SEXTUM.



ROMAE CIↃ. IↃ. CC. LII.
EX TYPOGRAPHIO PALLADIS

SUMTIBUS NICOLAI ET MARCI PALEARINI
PRAESIDUM PERMISSU.

ILLUSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO D.

D. ANDREÆ CORSINIO
PHILIPPI
CASILIANI DUCIS FILIO.

NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI
FELICITATEM.

NE mirere, ADOLESCENS PRÆSTANTISSIME, edituros Sextum hoc *Gorianarum Symbolarum* Volumen oculos in Te conjecisse, ut tibi potissimum in-

 scri-

ſcriptum ; atque dicatum emitteremus. Haud enim ignoras quantis nominibus univerſæ CORSINIÆ Genti ſimus devincti, præcipue vero NEREO CARDINALI ampliſſimo Avi tui Fratri, ac PHILIPPO Patri tuo, quorum alter ſtudia noſtra fovere cœpit ex quo adhuc pueri Terentianas fabulas, exercitationis gratia, agebamus, hodieque fovet liberaliſſime; alter tanta nos comitate ſemper excipere, tantaque humanitate complecti ſolet, ut & utrumque colamus ſummopere, & firmiſſimum rebus noſtris præſidium in illo-

rum

rum benignitate conſtituere non dubitemus. Præterea noſtro quodam veluti fato feliciter contigiſſe credimus, ut non ſolum ii docti viri, in quorum diſciplinam es traditus, ſed nonnulli etiam e clientibus, ac familiaribus veſtris, qui aliqua eruditionis laude cenſentur, ſingulari nos benevolentia complectantur; qui cum de vobis omnibus optime, veriſſimeque ſentiant, tam multa, tam præclara de egregia tua indole, de morum ſuavitate, de ſtudiis denique tuis prædicare ſolent, ut ex illorum conſuetudine, ac colloquio

facile cognoverimus a Te tali ingenio prædito, talibus disciplinis exculto summa omnia esse expectanda. Habes profecto quorum vestigiis insistas, scilicet majores tuos, qui omni virtutis laude floruerunt, atque idcirco summos honores adepti sunt; inter quos ii potissimum ob oculos obversantur, qui Ecclesiæ castra sunt sequuti, cui Tu militiæ nuper nomen dedisti. In quorum numero occurrit primo loco recensendus Andreas ille gentilis tuus, qui quarto ab hinc sæculo Fesulano Episcopatu insignitus, gravissimis pro

Pa-

Patriæ ſalute ſuſceptis legationibus, &c, quod ſummum eſt, vita ſanctiſſime peracta, in Divorum numerum relatus eſt, ex quo clariſſimæ Familiæ veſtræ immenſus prope ſplendor acceſſit. Alios conſulto prætermittimus in pari dignitate, licet impari gloria conſtitutos, quos longum nimis eſſet dinumerare. Verum ut ad eos deſcendamus viros præſtantiſſimos, qui Cardinalatus inſignibus præfulſerunt, in primis commemorabimus Petrum Cardinalem atque Epiſcopum Florentinum, in veteribus Annalium libris celebratiſſi-

mum, quem ſcientia, conſilio, & auctoritate plurimum valuiſſe conſtat difficillimis illis Chriſtianæ Reipublicæ temporibus, quando Romana Eccleſia in partes diſciſſa afflictabatur miſere; cui ſarciendæ Concilium Piſis peractum fuit: deinde vero Nereum, alterum ab hoc, cujus hodie aſpectu jucundiſſimo fruimur, atque, ut publico bono fruamur diutiſſime vehementer exoptamus: Laurentium denique, cujus virtus hac noſtra ætate adeo emicuit, ut ad eum gradum, qui eſt in terris ſummus, & auguſtiſſimus, Deo,

ho-

hominibusſque volentibus aſcenderit, Clementem dico Duodecimum Pontificem vere Maximum, & ad immortalitatem natum, cujus ſapientiæ oculati teſtes ſumus, egregiorumque facinorum, quorum recordatio in ævum eſt duratura. Hiſce excitatus exemplis, & domeſtica gloria, inſuper propinquitatibus, amicitiis, opibus optime inſtructus, properas ADOLESCENS nobiliſſime ad eos honores, ad quos majores tui tibi aditum aperuerunt, viamque munitiſſimam factis præclariſſimis conſtraverunt. Tu vero minime con-

ten-

tentus ejuſmodi naturæ bonis, quæ probe utentibus virtutis præſidia, atque ornamenta eſſe ſolent, ipſa tamen virtus non ſunt, (quod ii fere arbitrantur, qui talibus gaudent fortunæ donis) ne imparatus ad honores illos accedas, qui tibi ob oculos proponuntur veluti præmia virtutis, totus nunc es in doctrinæ ſtudio, atque omnes potiſſimum induſtriæ nervos in eam curam intendis, ut virtutem ipſam aſſequaris, cui aſſequendæ nulla profecto tibi deſunt adjumenta: nam præter ingenium docile, & ſatis acutum, ac ma-

giſtros

giſtros in omni ſcientiarum genere probatiſſimos, habes domi bibliothecam optimis codicibus inſtructiſſimam; privatiſque fortunis prope majorem, unde doctrinam univerſam abunde poſſis haurire. Quapropter non eſt cur de futura tua dignitate, deque tua laude dubitemus, utraque enim otioſo tibi, atque inopinato obveniet, ac ultro pro tuo merito deferetur. Talia animo volutantibus cupido inceſſit potiundi tui patrocinii, quod & nunc erit nobis perhonorificum, ac in poſterum fructuoſiſſimum fore confidimus; cui ex-

expoſtulando , ut aliquem nobis aditum faceremus, munuſculum hoc ſane exiguum, ſed ſtudiis tuis maxime conveniens, ad te deferre decrevimus. Etenim in hoc Volumine opuſcula ſex continentur, quorum duo ad Geographicam facultatem , duo ad Romanam Juriſprudentiam , unum ad Dantis Aligherii Poetæ celeberrimi laudem , atque alterum ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectant; ad ea ſcilicet ſtudia , quæ vel proxime abſolviſti , vel in iis hodie ſumma animi contentione verſaris . A te igitur præclariſſime ADOLESCENS

eni-

enixissime petimus, ut officium nostrum qualecumque sit habeas acceptum, nosque in tuam fidem, ac clientelam suscipere non graveris. Vale.

LE-

LECTORI HUMANISSIMO

ANT. FRANCISCUS GORIUS.

PRINCIPEM *locum obtinet in hoc Symbolarum Volumine* VI. *Petri* BERTII *viri celeberrimi de insigni* TABULA PEUTINGERIANA *Judicium, de qua nonnulla adnotata sunt in prævio ad te Lectorem monito. Huic judicio adjecta est Dissertatio præstantissimi in Lipsiensi Academia professoris Johannis Georgii* LOTTERII, *quæ historiam, omnemque eruditionem ad eam Tabulam inlustrandam insigni adparatu continet, & multa de origine, de caussis, de auctore, de ætate, usu, scopo, pretio, elogiis, nævis, deque egregiis laboribus clarorum virorum, qui de ea scripserunt, multaque animadversione digna adnotarunt, ac de ejusdem Tabulæ possessoribus, tandem de felici ejus custodia statuque scripserunt; quam e Museo Serenissimi Principis* EUGENII *in Vindobonensem*

nensem

nensem Cæsaream Bibliothecam, ac pretiosissimum Cimeliarchium post ejus obitum migrasse constat; quare summa animi lætitia, ac voluptate gratulor, scriniis dignam esse invictissimi Imperatoris Cæsaris FRANCISCI, *Domini mei semper Augusti. Præclarum hunc pro historia Tabulæ Peutingerianæ Adparatum plurimi æstimandum esse. mecum censent litteratissimi homines, qui ne ferculum hoc exquisitissimum inter hasce Symbolicas dapes prætermitterem, monuerunt; præsertim quum ad nos Italos paucissima hujus Operis exemplaria pervenerint, & plures sibi comparare frustra potuerint. De eadem Peutingeriana Tabula, deque antiquis Tabulis Geographicis extant erudita quædam monumenta inter Calogeriana Opuscula, pag.283. tom.* XLII. *depromta a præclarissimo Viro Dominico* VANDELLIO *in Mutinensi Lyceo Mathematices Professore, & Præfecto Serenis. Ducis Mutinæ Chartophylacio, quam, Lector benevole, videre poteris.*

Quum mihi nil antiquius, dulcius, atque jucundius sit quam colere ac suspicere de litteris optime meritos Viros, paucis ab hinc annis inter amicos connumeravi Eruditissimum

tissimum

tiſſimum Johannem Conradum STIGLITIVM, *Namburgi Saxonum delicium*, *qui non ſolum Commentarium ſuum criticum* de *Merſide* ſacro antiquorum Codicum ornamento, *cum parergica Diſſertatione* de lunulatis veterum Gentilium inſignibus, *mihi pro ſua in me ſingulari prorſus humanitate inſcripſit*, *Erfordiæ edito libro anno* MDCCXLVII; *verumetiam Diſſertationes aliquot ſuas ornandis hiſce Symbolis animo lubens miſit*, *inter quas nunc primum in lucem prodit* Exercitatio de Formula antiqua Rei Teſtamentariæ apud veteres Romanos, *quam ſociis incluta Societatis* COLVMBARIÆ *inſcripſit*, *ſtatimac*, *me curante*, *audivit ſuperiore anno honoris cauſa*, *in eorum Litterarium Cœtum plenis ſuffragiis adlectum fuiſſe*. *Multo judicio*, *atque eruditione hæc Exercitatio ſcripta eſt*, *quam tribus ſectionibus abſolvit*.

His optimis frugibus adjicitur perpaucis Italis nota Diſſertatio Litterario-Juridica præſtantiſſimi Viri Petri BVRMANNI *Fr. F. & Nep. Amſteladamenſis*, de Jure Annulorum aureorum, *quam jamdudum ad me idem ipſe Auctor miſerat*, *auſpice maximo Viro mihi amiciſſimo*, *Jacobo Philip-*

po

po D' ORVILLE, *cujus immaturum obitum summo Reipubblicæ Litterariæ detrimento nuper funebri Oratione eloquentissima ac Lesso Elegiaco admirabili deflevit idem Burmannus, Bataviæ splendidissimum jubar, ingens decus & ornamentum. Hanc protulit Dissertationem, veluti specimen juvenilis ingenii sui pereximii in studiis Jurisprudentiæ & legum Romanarum, rude donatus in Trajectino Lyceo, sub Viris, ut ipse fatetur in sua Præfatione, doctrinæ gloria conspicuis; ex qua etiam adparet quanti sit facienda hujusmodi Dissertatio singularis, quæ in editis Romanarum Antiquitatum Thesauris desideratur, quam complures amici mei, Antiquitatis, & Romanæ Jurisprudentiæ cultores flagrantissime cupiebant, ut nostris typis excuderetur. Huic summo ac magni nominis Viro, amico meo, ut alia, quæ habet bono litterariæ Reipublicæ in lucem proferat, felicem ac diuturnam vitam precor.*

E Romanis Jurisprudentiæ fontibus mens erat mea ut deinceps alia Dissertatio depromta his succederet; sed commodum sibi ac peropportunum censuit Romanus Typographus, ut statim ac ad eum missa fuerat

prodiret in lucem Epistola patrio sermone conscripta, omnigenaque eruditione referta, quam ad me misit prælaudatus Vir Clarissimus Dominicus VANDELLIVS, *amicus meus optimus propter eximiam doctrinam probitatem, honestatem, morumque integerrimum candorem mihi carissimus, qui editis præclaris ingenii monimentis, eximiam inter Literatos Viros gloriam sibi comparavit. Magnificum Codicem & valde pretiosum detexit, in quo divini nostri* DANTIS ALIGHERII *Comœdia exametris latinis versibus fideliter & non ineleganter reddita est a Monacho Fr. Matthæo* RONTO; *cujus Poetæ genus, patriam, & complura scitu digna expendit, ac profert suis luculentissimis lucubrationibus, cui pro tam eximio munere pares gratias quum ipse vix referre possim, referent cives mei, & cultores* DANTIS *Poetæ Philosophi ac Theologi Florentini. Denique ut Sacræ Philologiæ amatoribus inserviam Epistolam Doctissimi Viri Friderici Althanii Forojuliensis e Salvaroli Comitibus, datam* IV. *Kal. Aprilis anni* 1749. *inscriptamque amico suo Antiquitatum Ecclesiasticarum peritissimo P. Philippo a Verona Capuccino postremo*

loco

loco edendam curavi. In ea Epistola præclarissimus Auctor Baptismale quoddam Hieroglyphicum explanandum suscepit susceptumque negotium tanta eruditione, atque elegantia perfecit, ut literariam Rempublicam foetu pulcherrimo, ac ipsum parentem suum debita sibi laude minime duxerim fraudandum. Praterea quum in ejus Epistolæ calce proferat Althanius, quasi corollarii loco vetusta duo monumenta ad Baptismum spectantia, eruta e duobus MM. SS. Codicibus, Missali scilicet, ac Rituali Aquilejensis Ecclesiæ, notisque ornatissimis a se apposite illustrata, haud erat profecto ferendum, ut diutius in occulto delitescerent, atque omnem hujus inventi fructum oblivio interciperet; inde enim Sacrorum Rituum studiosis nonnihil oblectamenti, totique rei Liturgicæ præsidii plurimum accessurum confido. Ne Te, LECTOR BENEVOLE, *diutius morer, quum palatum tuum hisce ferculis exacuerim, dimittam, ea conditione, ut mihi meisque hisce curis jucundissimis favere, ut facis, pergas, & si lauticias tuas addere volueris, facias, & genio meo morem geras. Vale.*

AP-

APPROVAZIONE

AVendo letti d'ordine del Rmo P. F. Giuseppe Agost. Orsi Maestro del Sac. Pal. gli Opuscoli che si contengono nel Sesto Volume della DECA ROMANA DELLE SIMBOLE LETTERARIE, pubblicate dal celebre Preposto Anton Francesco Gori, non vi abbiamo ritrovato niente contro la s. Fede Cattolica, e buoni costumi &c.

Roma 20. Ottobre 1752.

D. Giuseppe Bianchini dell'Oratorio.
Gaetano Cenni.

IMPRIMATUR,
Si videbitur Reverendissimo Patri Mag. Sac. Palatii Apostolici.
F. M. De Rubeis Patriarca Constant. Vicesg.

IMPRIMATUR.
Fr. Vinc. Elena Mag. Soc. Reverendiss. P. M. Sac. Pal. Apost. Ord. Præd.

ΧΑΛΕΠΑ
ΤΑ ΚΑΛΑ

PE-

PETRI BERTII
DE TABVLA PEUTINGERIANA
JUDICIUM.

LECTORI SALUTEM

Quum ex literis amicorum acceperim V. C. Franciscum de Scheyb consilium iniisse vulgandi iterum typis aneis impressam celeberrimam tabulam Peutingerianam, quam olim eadem ratione publici juris fecerat typotheta Plantinus, cujus tamen ne unum quidem exemplum facile est invenire: statim mecum tacitus cogitavi pretium operis me facturum, si judicium, quod de ea Tabula tulit vir doctissimus Petrus Bertius Regis Christianissimi Cosmographus, in has Symbolas conjicerem. Exstat hoc inter Geographos Veteres, quos ipse Bertius in uno volumine collectos edidit sub titulo: Theatri Geographiæ Veteris. Coloniæ Agrippinæ 1584 fol. *Huic judicio Dissertationem addidi de eodem argumento luculentissimam, qua prodiit Lipsia Praside Jo: Georgio Lottero, & de qua disseruit Jo: Christophorus Schade Scandaviensis Misnicus anno* 1732. IV. Non. *Octobr.*

A

DE TABULA
PEUTINGERIANA.

MEMINIT B. Rhenanus in libris rerum Germanicarum aliquoties tabulæ antiquæ, quam apud Chunradum Peutingerum amicum ſuum Auguſtæ viderit: Chartam Provincialem, itinerariam, militarem diverſis locis appellat: Ait ſub ultimis Imperatoribus depictam, a Celte in quadam Bibliotheca repertam eſſe, plane veterem. Ex ea cum teſtimonia nonnulla produxiſſet, pleroſque illius videndæ deſiderio vehementi incendit. Exiſtimabant homines eruditi, hoc finium regundorum Judice, qui omnem exceptionem ſuperaret, multas tantum non immortales Geographorum diſſenſiones componi, multos inextricabiles in hiſtoricorum libris nodos ſolvi poſſe. Verum Peutingerus dum vixit tabulam non emiſit; neque illa eo mortuo, quod mihi conſtet, in cujuſquam conſpectum venit, quamvis ſæpius diligenter quæſita. Inventæ ſunt autem, inter reliqua litteraria cimelia, Schedæ duæ, quas ex tabula iſta delineatas appareret:

ita, ut altera altroverſum plus ſpatii exprimeret, neutra totum autographum referret, quod certis indiciis liquet. Hæ cum ad manus meas perveniſſent, committendum non exiſtimavi, ut publico inviderem. Vulgavi itaque ea fide, quæ alicui nimia videri poſſit (nam maxima, minima pari diligentia exprimenda curavi, etiam errores manifeſtos in explicationibus, quam in Schedis corrigere malui) ſed profecto reddendis antiquis monumentis nemo ſatis religioſus eſt, qui ſuperſtitioſus haberi metuit. Editionis conſilium non eſt cur pluribus commendem: ſive autographum periit, ſive delitescit, aliquando lucem viſurum (quod ominari placet;) interim fragmentis hiſce frui, gratiæ apponent docti omnes, certo ſcio: Explicationem addere viſum neceſſario. Non quod de illis rebus hariolandum ſit, quæ nullis veſtigiis indagari poſſunt, qualia pleraque nomina nunc primum in lucem rediviva, quæ fere intacta tranſmitto, ſed quod mihi attente cogitanti nonnulla in mentem venerint, quæ tum in univerſum, tum per partes monita, lectores eo labore videbantur levare. Et periculum fuerit, ſi Schedas nudas emitterem, ne permulti, quibus illa jam uſui erunt, vix inſpectas abjicerent, tædium non laturi corrigendi, quæ a deſcriptoribus errata: commode explicandi, quæ ab auctore inconcinnius poſita: confirmandi, quæ in ſpeciem dubia incerta; annotandi denique ſi qui ab autographo erro-

errores viderentur. Nam aut ego fallor, aut his ipsis salebris impeditus Peutingerus, quo nemo antiquitatis studia promovit cupidius, ab editione abstinuit. Monebo itaque non pauca paucis sine ostentatione, sine insectatione. Cur enim aut mihi nimis placeam, si his ducibus viam tenuero, aut aliorum elevem diligentiam, si illis destituti, in tam densis antiquitatis tenebris interdum aberravere? Quidquid hujus profecto neque iis fraudi, neque mihi laudi erit, Quam adeo non capto, ut me uberrimos fructus percepisse existimaturus sim, si commentatione ista schedarum inspectoribus aliquam lucem prætulero. Dicam autem primo loco quæ de auctore, de tabula, de Schedis, de lineis, & numeris mea sententia: Ad singulorum deinde locorum nomina accedam.

Auctorem Geographiæ imperitum mathematicas litteras in universum non doctum fuisse, necessario fatendum, res enim loquitur: Cum neque Provinciarum circumscriptiones, & figuræ, neque littorum extremitates, neque fluviorum decursus, neque locorum intervalla Geographicis canonibus respondeant. Inde fit ut non temere suspicer, hæc in turbido Castrensi, potius quam erudito scholarum pulvere nata, manu metatoris alicujus descripta esse. Metatores sunt *Vegetio lib. 2. c. 7.*, *qui præcedentes locum eligunt castris*: eum deinde mensores militibus ad podismum dimetiuntur. Verum usus obtinuit, ut metatores dicantur,

 etiam

etiam qui in Civitatibus diverſoria, & hoſpitia deſignant. *Ita Cod. lib. 2. tit. 8. l. 3., & 5. lib. 12. tit. 19. l. 9. tit. 41. l. 1. 2. 5. 9. & 11.* Domus attributæ metata per totum hunc poſtremum titulum. Metatoribus autem neceſſaria cognitio Itenerum, Trajectuum, Civitatum, interſtitiorum, & quæ multa præterea ad id inſtitutum pertinent. Nam mihi dubium nullum eſt, deſignandæ itinerum rationi metatores a ducibus conſilio adhibitos. Exempli cauſſa producamus Lampridii verba ex Alexandro Severo: *Itinerum autem dies publice proponebantur, ita ut edictum penderet ante menſes duos, in quo ſcriptum eſſet, illa hora ab Urbe ſum exiturus, & ſi dii voluerint in prima manſione manſurus. Deinde per ordinem manſiones, deinde ſtativæ, deinde ubi annona eſſet accipienda.* Hujuſcemodi edicta non niſi a perito metatore inſtrui poterant, qui manſiones, earumque intervalla, magnitudinem, & annonæ copiam in numerato haberet, quo præſcriberet quanta exercitus pars in unaquaque commode manere poſſet. Et ea apud me veriſimillima eſt opinio, Itinerarium Provinciarum, quod Antonino Auguſto tribuitur, cujus auctoritate perſæpe uſuri ſumus, a Metatoribus originem ducere. Nam id quod Lampridius edictum appellat, a *D.* Ambroſio *ſerm. 5. in Pſalm.* 118. *Itinerarium* dicitur. Placet tôtum locum exſcribere, mire enim ad inſtitutum noſtrum facit *Miles qui ingreditur Iter, viandi ordi-*

ordinem non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio viam carpit, nec voluptaria captat compendia, ne recedat a signis: Sed itinerarium ab Imperatore accipit, & custodit illud. Præscripto incedit ordine, cum armis suis ambulat, rectaque via conficit iter, ut inveniat commeatuum sibi parata subsidia: Si alio ambulaverit itinere, annonam non accipit, mansionem paratam non invenit, quia Imperator his jubet hæc præparari omnia, qui sequuntur, nec dextra, nec sinistra a præscripto itinere declinant. Meritoque non deficit qui Imperatorem sequitur suum; moderate enim ambulat, quia Imperator non quod sibi utile, sed quod omnibus possibile considerat: ideo & stativas ordinat; triduo ambulat exercitus, quarto requiescit die: eliguntur Civitates in quibus triduum, quatriduum, & plures interponantur dies, si aquis abundant, commerciis frequentantur. Et ita sine labore conficitur iter, donec ad eam Urbem perveniatur, quæ quasi Regalis eligitur, in qua fessis exercitibus requies ministretur. Hanc legem esse præscriptam Christo ducente, sanctis commeantibus recognoscas velim. Profecti sunt enim & patres nostri de terra Ægypti per longa spatia terrarum, quorum stativæ omnes, mansionesque descriptæ sunt, donec Cades id est ad Sanctorum terram perveniretur. Vides quis itinerarii usus, qui etiam ab aliis est observatus. Verum enimvero, quoniam.

Segnius irritant animum demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis commissa fidelibus,
& quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Hinc credibile libellos itinerarios quandoque delineatis tabulis explicatos, quo nimirum itinerum, & mansionum constitutio in tabulis uno intuitu sub Imperatorum oculos veniret; neque id nulla de caussa, quando hæc imprimis Imperatoribus cura curanda. Fuerit exercitus Lugduno Batavorum Noviomagum movendus, ob magnitudinem, vel alia quavis occasione dividendus. Multum intererat hanc cognitionem oculis præcipere, binas esse vias, quæ illo ducant, Dexteriorem sex mansionibus distinctam, dextro flumine, Sinisteriorem novem mansionum, lævo flumine uti, huic ultra alveum hosticum, illi pacatum esse. Et nostram tabulam huic fini paratam, non dubie innuunt dicta hactenus: clarius adhuc ostendunt lineæ viarum, numeri spatiorum indices; & quod illæ tantum mansiones expressæ, quæ in vias delineatas incidunt, præteritis aliis non obscuri nominis urbibus Quorum nihil commisisset auctor, si ipsas provincias, non certa in provinciis itinera describenda sumpsisset. At privatum institutum respexit, metatorem non Geographum præstitit. Idque vel idcirco animadvertendum, ne antiquitatis nomine decepti, tabulæ auctoritatem, quam auctor non petit, non meretur, tribuamus. Si quis enim hinc eum usum sperat,

rat, quem ex Geographicis pinacibus diligentissime, & scientissime confectis, fallitur; si quis item hanc delineationem Antonini itinerario, & nudis mansionum nominibus in eo præscriptis, nihil præstare judicat, non minus errat: commodissime sentit, qui medium locum tabulæ tribuit, ejuscemodi sibi descriptionem promittens, cujusmodi ab homine illarum disciplinarum, quas initio diximus, rudi, proficisci potuit.

Magnitudinem ex fragmentis ita æstimo, ut mihi persuadeam, tabulam integram totius Occidentalis Imperii præcipua itinera complexam. Nimis certe in aperto est per exiguam partem in nostris Apographis reliquam, multo maximam desiderari. Rhenanus satis ostendit Rhenum ab ostiis ad fontem usque descriptum: at ex schedis, illa quæ in hanc partem se longius porrigit, Coloniam Trajanam non excedit. Franciscus Irenicus meminit itinerarii cujusdam Augustani, quod ab Antonini Itinerario differat: ego elenchum ex hac tabula excriptum significari interpetror; in quo præter plerasque ad Rhenum urbes, contineantur Danubianæ omnes, quascumque antiquitas vidit. Nomina multarum, quæ in Rhætiis, Norico, Pannoniis sitæ, describit Sirmium usque. In schedis supersunt reliquiæ itinerum per Galliam, Britanniam, Hispaniam, & Africam. Jam ergo, cum Rhætiæ ad Italiam, Noricum, & Pannoniæ ad Illiricum pertinuerint: Occiden-

dentale autem imperium, ex quo Constantius, & Galerius Rempublicam divisere primi (inquit Orosius) Italiam, Africam, Hispaniam, Galliam, Britanniam, & Illirici partem comprehenderit, sit, ut ex singulis hujus Imperii partibus vestigia ad indicinam reliqua sint: Ideoque non magnopere dubitandum existimem, ea quoque quæ inter tam misere discerpta membra media in autographo expressa esse. Eo gravior, & acerbior tam insignis monumenti jactura accidit; quod cum Antonino, & notitia Provinciarum conjunctum, incredibile quantum ad omnem antiquam Historiam illustrandam, & restituendam subsidium afferre poterat.

In ætate conjicienda assentior Rhenano, qui de ultimis Imperatoribus sensit. Sunt plura ei rei argumenta: unum afferam. Francicum nomen, quod in priori scheda extat, sero Romanis cognitum, ante Trebellium, & Vopiscum a nemine in litteras relatum: Et falluntur egregie, qui Ciceronem ejus meminisse asseverant, uti etiam in errore versantur, qui manifestarium glossema recipiunt in Josepho *ex Hebreo* verso *lib. 5. c. 24.* Herodis funeri interfuisse satellites Germanos, & Gallos, qui sint Francigenæ. Ultimos autem Imperatores capio, non qui postremi Imperatorio nomine in Occidente usi, sed qui postremo Provinciarum, quarum hic itinera, potiti. Ad quam rationem, dicam absoleto verbo, postremorum postremissi-

mi

mi censendi, Theodosius major ejusque filii. Neque fieri potest, ut ista descriptio Theodosio, & filiis sit recentior. Theodosio enim mortuo, Barbari plerasque Provincias, mox sub Honorio, & Arcadio, alias non multo post in potestatem redegere. Quod certis historiarum testimoniis consignatum; cum vero nemo suspicaturus sit, Romanos itinera per Provincias a barbaris jam occupatas descripsisse, omnino conficitur, quod posuimus.

Ex Schedis ea, quam primo loco damus, venuste, & eleganter, altera rudiuscule, & negligenter descripta erat. Atque hac non difficulter caruissemus, si quæ continet, in priori omnia expressa, & si locorum nomina clara firma fuissent, neque alterius lectionis collatione eguissent: Verum præter quam quod, quædam Galliæ, Hispaniæ, & Affricæ itinera in priori non extant, conferenda etiam in reliquis erat scripturæ ratio. Hæc in plerisque incredibiliter depravata, sive ipsius tabulæ, sive descriptorum, sive utrorumque vitio. Nam in tabula quædam errata esse cur negemus? Sed alia a descriptoribus vulnera addita, significat in primis Schedarum dissensio: quæ faciliorem veniam meretur, quod originem ducere videatur ex litteris in autographo obscuris, & dubiis, vetustate exolescentibus. Nos his explicandis, & restituendis, quam fieri poterit, diligentissimam operam navabimus.

Linearum ductus, quibus stationes, aut mansio-

mansiones (sunt ea solemnia metatoribus nomina) conjunguntur , vias publicas exprimunt , quas Consulares , Prætorias , & Militares appellabant . *Dig. lib.* 43. *tit.* 8. *l.* 2. *Publicas vias dicimus, quas Græci* ΒΑΣΙΛΙΚΑΣ, *nostri Prætorias, alii consulares appellant* . Militares dicuntur *lib. c. tit.* 7. *l.* 3. uti earum usus describitur : *Viæ militares exitum ad mare , aut in urbes , aut ad flumina publica , aut ad aliam viam militarem habent* : Quas singulas exitus species in nostris Schedis observabis . Publicæ autem non omnes his nominibus comprehensæ. Ait Ulpianus lege quam priorem adduximus : *Quæ post consularem excipiunt in villas , vel alias colonias ducentes , putem etiam ipsas publicas esse* . Verum ego in Schedis nullam non consularem , aut quod idem est , militarem delineatam opinor . Hasce tribus modis munitas reperio ; sive stratis lapidibus , sive injecta glarea , sive congestis terreis aggeribus. *Dig.lib.*43. *tit.* 11. *leg.*1 : *Neque latiorem , neque longiorem, neque altiorem , neque humiliorem viam sub nomine refectionis , is, qui interdicit, potest facere : vel in viam terrenam glaream injicere , aut sternere viam lapide quæ terrena sit , vel contra lapide stratam terrenam facere* . Quamquam Isidorus viam terrenam , cum ea quæ lapidibus strata , videtur conjungere , cum ait , aggerem esse mediæ stratæ eminentiam , coacervatis lapidibus stratam ab aggere , id est coacervatione dictam , quam historici viam militarem dicant .

Abso-

Abſolutæ autem viæ publicæ aggeres. Ammianus Marcell. *lib.* 19., *Tamquam iteneratio aggere, vel ſuperpoſito ponte complanatum ſpatium*.. Et 21. de Juliano: *Morarum impatiens, percurſis aggeribus publicis, ſuccos, nemine auſo reſiſtere, præſidiis occupavit*.

Curatores porro viæ accipiebant: quos ab Auguſto excogitatos Suetonius innuit c. 37. At Pomponius l. 2. de Orig. Juris, initium longe altius repetit. Illud etiam obſervavi, interdum ſingulis viis ſingulos Curatores datos, ut ex multis lapidibus conſtat; interdum unum hominem multarum viarum curam geſſiſſe. Fidem facit marmor, quod Auximi ſupereſt, in quo C. Oppius Cur. Viar. Clodiæ, Anniæ, Caſſiæ, Ciminæ Trium, Trajanarum, & Amerinæ. Per redemptores muniebantur, uti Siculus Flaccus ſcripſit. Avi quandoque ad has munitiones condemnabantur, quod ex Suetonii Cajo c. 27. colliges. Lapideis columellis diſtinguebantur, quibus milliarium numerus adſcriptus, unde nomen accepere in vetuſta inſcript. *miliares. Lapides. reſtituti*. Etiam Imperatorum nomina addita, quod horum juſſu munirentur, nummi Auguſti fornicibus, quadrigis, & tropheis inſignes. Quod. Viæ. Mun. Sunt. Sidonius in Propempt.

Antiquus Titi nec teratur agger,
Cujus per ſpatium ſatis vetuſtis
Nomen Cæſareum viret Columnis.

Multa extant in hanc ſententiam auctorum loca,

ca, & certiſſimi teſtes lapidei cippi, qui reliqui. Ex iis interſtitia locorum itinerariis adnotabantur. Et hoc ipſum ſibi numeri in Schedis volunt, quorum tamen nos perraro rationem inire potuimus, adeo cum Antonini itinerario non coincidunt, cum quo uno conferre licebat. Cujus rei culpam non omnem in exſcriptorum negligentiam rejicio. Et ſi hæc mirum quantum ſibi indulſit, tamen multæ præterea differentiæ cauſſæ accidere potuere. Ipſa dies pleraque immutat, aliqua itinera contrahuntur, novis inventis compendiis, producuntur alia neceſſaria de cauſſa ambagibus additis. Deinde numeri Antonini ſemper manſionem, quæ proxime anteceſſit, reſpiciunt, Schedarum fortaſſis non item, cum etiam in cippis obſervem aliquando numeros a ſplendida aliqua Colonia, per centum paſſuum millia, & eo amplius continuari, neglectis intermediis oppidis minoris nominis; exemplo eſt cippus, haud procul Oeniponte, Severo, & filiis inſcriptus, in quo numeri ad Auguſtam Vindelicorum, longe diſſitam referuntur. Vias, & Pontes. Reſt. Ab. Aug. Mil. Paſſ. Cx. Demum, quæ in libello certo ordine perſcripta, ea in tabula, tam ad anteriora, quam ad poſteriora referre, quin, & dextrorſum, aut ſiniſtrorſum trahere nihil vetat, & duplex numerus quibuſdam manſionibus additus, indicio eſt illas diverſa itenera reſpicere. Quibus omnibus rationibus hæc conjectatio valde obſcura atque impe-

impedita redditur. Et si mihi divinationem rei tam incertæ sumam, meo merito ridiculus habear. Aliis eam palmam lubens cedo.

Ne quid prætercam, moneo in posteriori Scheda itinerum lineas omnes, & hæc nomina *Crepstini*. *Namatii*. *Fl. Renus*. *Fl. Batabus*. *Osini*. *Fl. Riger*. *Icampenses* rubrica descripta, intervalla numeris Romanis, quæ in priori Barbaris characteribus, notata esse; an ad autographi fidem non asseveraverim. Quamquam de numeris minus ambigo. Quomodo enim barbaros characteres referret autographum, cum nullus dum tunc temporis eorum usus esset? Verum prioris schedæ descriptor hac in re scribendi compendium sequi maluit. Nos uti in schedis invenimus ita reddidimus: Rubricam nonnisi atramento exprimere potuimus. Sed ecce prior Scheda in manibus.

JO. GEORGII
LOTTERI
DISSERTATIO
DE TABULA
PEUTINGERIANA

I.

OCCASIO, ET RATIO OPERIS

SPatium jam ab hinc completi triennii integrum effluxit, ex quo *Hiſtoriam Vitæ atque meritorum* CONRADI *Peutingeri* Auguſtani hominis, ſive doctrinam, ſive virtutem ſpectes patriæ ſuæ, ſuique ſæculi, hoc eſt ſexti, poſt Chriſtum natum, decimi præter quamplures alios longe nobiliſſimi, ſingulari ſcriptione academica commentati ſumus, eamdemque propugnavimus publice. Promiſeramus tum futurum eſſe, uti ſiquidem non diſplicere omnino melioribus noſtrum hunc de clariſſimi Civis memoria bene merendi conatum cognoviſſemus, *Opuſcula* ejuſdem aliquando hiſtoricæ in primis, atque antiquariæ cognitionis monimentis refertiſſima, edita partem jam alias, partem nondum vulgata antehac, uno volumine comprehenſa noſtro ſtudio per typos in communes uſus divulgentur, retractata ſimul poſterioribus curis diligenter ipſa *Conradi vita*. Et quum in hoc ſpem noſtram falſam plane eſſe fata haud permiſerint, ſuperiori demum anno

ſingulari ad doctiſſimum amicum *Jo. Ge. Schelhornium epiſtola* conſilii iſtius rationes dedita opera, atque niſi prorſus fallimur luculenter expoſuimus; jamque id præcipue fere agimus, ut fidem promiſſi liberare quanto ocius, tanto jucundius valeamus. Hac autem in re expediunda, dum ſtrenue occupamur, non potuimus non inter elaborandum alia, quæ huc pertinent, diutius paullo detineri curioſiori, magiſque, quam impendere olim licuit, ſollicita perquiſitione *fatorum priſci* illius *monimenti*, quod unum fere ante hac priſtino ſuo *poſſeſſori* conſervatorique durabilem inter eruditos nominis celebritatem conciliavit, & humaniſſimi cujuſque deſiderium adtentionemque meruit; *Tabulæ* putamus, quæ ita dici conſuevit, *Peutingerianæ*. Impeditiorem illorum notitiam experti ſumus re ipſa, quam adgreſſis primum videbatur variis de cauſſis, ob quas forſitan, & neglecta indagari penitius, & tradi adeo curatius ad poſteros majorum ſtudio fuiſſe[a] pronum foret ſuſpicari. Interim poſtquam ſemel nos ſponte in hanc provinciam immiſimus, hac ipſa difficultate deterriti parum vel nihil, quin ipſa officii, atque promiſſi honeſtate impulſi devorare omnem, quiſquis vel tandem fuerit, laboris hujus improbitatem mature con-

[a] Videſis interim *Bibliothecam hiſtoricam Hamburgenſem* Centur. 1. artic. 78., & *Levini Joannis Schlichtii* diatriben *de Tabulis* Geographicis antiquioribus Halæ 1712. in 12.

constituimus. Inde nata est nobis præsens Dissertatio, quam sive publicis, sive privatis eruditorum hominum censuris melius adhuc elimari impense optamus. Hanc vero tractandi rationem, quam ipsa argumenti natura optimam dictaret, amplecti decrevimus, uti scilicet primum ipsius *Tabulæ fata*, ordine, ac diligenter referamus; post vero, quæ ad illius *cognitionem* intimiorem, *æstimationemque criticam* faciunt, exposite disputemus. Delineatus in fronte, cujusque capitis brevis *conspectus* dicendorum summam amplius repræsentabit.

I I.

Quid Tabulæ Peutingerianæ vocabulo usurpetur?

ENIM vero finiendum ante omnia, quam fieri quidem potest, plene ac clare a nobis fuerit, ecquidnam rei aut prisci monimenti vulgata *Tabulæ Peutingerianæ* adpellatione censeri soleat? De hoc ita habendum est. Scilicet: esse illam tabulam membranaceam, latitudine pedem circiter vulgarem Germanicum unum exæquantem, longitudine contra, in quam pelliculis, quotquot illarum usui hanc in rem opusque fuerant, singulis probe invicem sciteque conglutinatis prætenditur, similium pedum viginti duorum mensuram fere superantem; exaratam, ubi indicanda fuerunt ma-

rium, insularum, lacuum, fluviorum, montium, urbium, & reliquorum, nomina, illo litterarum charactere, quem *Longobardicum* nuncupant, atque exhibere delineationem orbis, qualis sæculi inter Christiani quarti finem, & initium quinti, ab Herculis inde Columnis ad Alexandri Regis inde Aras, hoc est ab Occidentis ultimis ad Orientis extrema Romanorum imperio parebat, adnotatis simul operose, ac per certos numeros definitis ad consuetam milliarii Romani mensuram, viarum publicarum atque militarium spatiis, ut inde quasi in compendio Romani Imperii illius adhuc temporis, majestas, atque amplitudo, neque minus æternum stupenda viarum quas diximus miracula cognoscerentur.

III.

Hæsit ipsi Peutingerianæ cognomentum & jure quidem optimo.

DElituerunt hæ illustres Prisci ævi reliquiæ, ignotum quo casu aut tempore in Germaniam delatæ, ultra mille, ac centum amplius annos, perpetuæ oblivionis noctem fortasse experturæ, nisi benignior fortuna sub sæculi decimi sexti auspicia in lucem illas iterum hominumque conspectum protraxisset. Factum hoc esse pridem constat *Conradi Protuccii Celtis* Franci ministerio, magni illius littera-

rum

rum in Germania feliciſſimique inſtauratoris. Suſceperat is quam modo diximus tempeſtate *Maximiliani* I. Auguſti juſſu, ac ſumptu per meliorem Imperii Germanici partem iter, conquirendi, compilandique cauſſa, ac in publicos uſus deſcribendi monumenta, quotquot ad illuſtrandam eruendamque ex ſuis tenebris Germanicæ gentis, geſtorumque majoribus noſtris hiſtoriam pertinere viderentur. In hoc dum pro virili elaborat, gratiamque optimi Cæſaris in dies ipſa hac re luculentiorem demereri conatur, contigit etiam, uti in *Cænobii* cujuſdam Spirenſis [a] Bibliotheca hanc ipſam *Tabulam* ſqualore ac ſitu obductam forte deprehenderet, ſecumque auferret.

Norunt vel levius eruditi poſſediſſe Cel-

[a] Hermannus Comes de Nuenar in Commentariolo de Gallia Belgica p. 15. memorat Itinerarium Theodoſianum in Spirenſi Bibliotheca, & cl. viri Conr. Peutingeri, Protonotarii Auguſtenſis Civitatis, aliud Itinerarium vetuſtiſſimum, adeoque primus fere, ac unus locum diſerte indicavit monumenti hactenus cuſtodem, quem ſiluerunt, immo ignorarunt fortaſſis Rhenanus, atque Velſerus, indefinite quandam Bibliothecam appellantes. Doctiſſimus Nic. Bergierii de publicis, & militaribus Imp. Rom. viis interpres, & commentator Chriſtian. Henric. Henninius, cui loci hujus Nuenariani indicium debemus, poſt quam in notis ad Bergierii *lib.* III. *ſect.* VII. §. 3. Theſ. Antiqu. Roman. Græviani Tomo X. fol. 698. hæc eadem verba recitaviſſet, addit: per poſterius intelligit (Nuenarius) illa ſine dubio fragmenta, quæ primo edidit ſine ſuo nomine notulis quibuſdam inſtructa e Bibliotheca Peutingeri M. Velſerus: prius vero eſt integrum illud a Celte repertum, & poſtea publicatum. An acu heic rem tetigerit cl. Henninius, viderint alii. Nobis certe non videtur.

tem præter omnigenæ doctrinæ, humanioris in primis, copiam insignem præcipue pro ætatis istius conditione, Geographiæ utriusque, veteris æque, ac recentioris facultatem haud uno publico munumento [a] demonstratam. Atque facile hinc fuerit existimare, si non intime perspectum, agnitum tamen statim luculenter, atque uno loco adamatum ipsi fuisse verum rarissimi hujus inventi, quod primo intuitu *tabulam Geographicam* putare omnino poterat, pretium. Abstulit ideo secum *Celtes*, & quod ullibi melius collocari haud posse arbitraretur, *Conrado Peutingero*, quocum ante ipsi dudum tum ex studiorum liberalium communione, tum ex aulæ Imperatoriæ consuetudine amicitia intercesserat, una cum aliis ejusdem generis [b] sive dono familiariter dedit, sive pretio redemtum reliquit. Utronam titulo hoc factum sit? definire haud possumus; quum argumentorum in hanc rem auctoritate destituamur: licet postremum nobis quidem veri adpareat similius. Quidquid vero vel tandem illius fuerit, hoc certe evictum cre-

a Nota sunt in vulgus Conradi Celtis Epitome Geographica, de Situ, & moribus Germaniæ carmen, alius item de Situ Noribergæ libellus; conf. Gundlingium de Vita, & Scriptis hujus viri in observationum ad rem litterariam spectantium tomo uno.

b Indetectum in Cœnobio Eboracensi in Franconia a *Celte Guntheri* Ligurinum, ac communicatum cum Peutingero hujus potissimum opera primum Augustæ an. MDVII. fol. typis vulgatum fuisse olim docuimus in historia Peutingeri *cap.* II. §. VIII. *pag.* 53.

credimus non ullum temere tunc inter Germanos magis dignum *possessorem tabulam* istam nancisci potuisse *Conrado*; qui omnium consensione summus antiquitatis cultor atque existimator [a] circumferebatur. Ille autem religiose, quod par fuerat, hunc thesaurum in Bibliothecæ suæ amplissimæ scriniis repositum, sartum tectumque posteritatis commodo servavit, edendum fortasse cura sua [b] cum tempore, nisi negotia, quibus cumulatissimis quotidie in patriæ egregium urgebatur, aut sensim succedens senium, aut ipsa denique similis propositi ingens difficultas impedivissent.

Interim tamen illius fructum & usum, qui mos est quorumdam interdum exempli pessimi, intelligentibus neutiquam invidit, quin invisentibus apud ipsum viris doctis maxime exteris certatim confluentibus jucunde commonstra-

a Adlatis hanc in rem in Diss. nostra *cap.* 1 I. §. 1 I. *pag.* 36. *seq.* argumentis, doctorumque hominum suffragiis, unum jam addimus *Christophorum* Scheurlium Noribergensem, qui in oratione de laudibus Germaniæ, Bononiæ an. MDV. habita, & Lipsiæ an. MDVIII. 4. apud Martinum Lantzebergium impressa, magni historici, & Germaniæ scitissimi inlustratoris eulogio *Peutingerium* condecoravit.

b Serium fuisse Peutingeri de Tabula aliquando vulganda consilium, jam olim conjecimus ex Diplomate Maximiliani Imp. quo ipsi præter alia, publicandi Itinerarium Antonini facultas concessa fuit, monuimusque illum tabulam suam cum isto Itinerario pro uno eodemque habuisse Diss. nostræ *cap.* 1 I. §. x. *p.* 62. *&* 66., ubi, & diploma illud ex αὐτογράφῳ descriptum dedimus. Hoc postea fronti Paulli Diaconi atque Jornandis a Peutingero Augustæ MDXV. fol. editorum præfixum deprehendimus.

ſtravit, inſpiciendumque humaniſſime permiſit. Qua ipſa re factum eſt, ut cum fortuna, quæ præter alios unum ipſum monimenti hujus *poſſeſſorem eſſe* voluerat, ſervatoremque in ſequenti tempeſtate, virorum litterarorum plauſus amice conſpirarent, ut illi *Peutingerianæ* cognomento *tabulam* uno ore inſignirent, non facile grata poſterorum memoria exciſuro.

I V.

Variæ ejuſdem adpellationes inter eruditos celebratæ aliæ.

RIdiculum foret iſtorum omnium indicem heic contexere, & ſingulorum nomina quaſi in pinace repræſentare, quum nemo humanior paullo futurus ſit, qui non ſemel atque iterum Peutingerianæ Tabulæ nomen in doctorum virorum ſcriptis expreſſum, & laudatum legerit. Illud vero ſilentio prorſus hoc loco dimittere haud poſſumus, & *aliis* illam adhuc *cognomentis* paſsim nuncupatam reperiri, variarum circumſtantiarum habito reſpectu. Ita ex *uſu, ac fine* modo *Provincialem*, modo *Itinerarium*, modo militarem, ſæpius appellavit *Beatus Rhenanus*, & cum ipſo plures [a] alii. Ex ævo,

a Rhenanus in libris rerum Germanicarum, paſſim Andreas Schottus in præfatione ad Antonini Itinerarium ex editione Hieronymi Suritæ rariſſima cIↃIↃc. in 8. quod vocant librarii, facta. Paullus Merula in præfat. ad Coſmographiam generalem, rel. ſufficiant hi ſermones litterarii.

ævo, quo consignatam fuisse veri haud adeo dissimilis eruditorum conjectura est, Theodosiorum nempe Imperatorum, *Theodosiana carta* vocatur Bertio, Cellario, Fabricio [a] viris clarissimis. Et ex loco denique, ubi aliquandiu servata est, & unde primum innotuit [b] *Augusta Vindelicorum* urbe, Augustanæ vocabulo insignierunt iterum haud pauci. Meminit equidem *Franciscus Irenicus* alicubi [c] *Itinerarii* cujusdam *Augustani* in suas aliquando manus delati, in quo *Civitates Danubianæ descriptæ continebantur, quascumque Vetustas viderat*, quarum nomina quædam ibi etiam conlustrare instituit, *reliquis successoribus suis* in hoc studiorum genere permissis, atque tantisper sepositis: Poterant hac re forte induci nonnulli lectores, uti sibi persuaderent idem fuisse hoc monimentum, ad quod provocat *Irenicus*, cum tabula Peutingeriana; præcipue quod conceptis verbis *Augustani* titulo laudaverit, atque ab Antonini, quod dicunt vulgo, *Itinerario* toto cælo diversum, qualis & illa vere est, professus fuerit. Verum enim vero dispunxit jam pri-

a Petrus Bertius in præf. ad Theatrum Geograph. veteris. Christophorus Cellarius in præfat. ad Tom. I. Notitiæ orbis antiqui. J.A. Fabricius Biblioth. Græcæ *lib.* IV. *cap.* II. *p.* 39. *in not.*

b Nicolaus Bergierius de publicis, & militum Imperii Romani viis *lib.* III. *sect.* VII. §. 3. ex versione Latina Henninii Tom. X. Thesauri antiqui Rom. Græviani fol. 230.

c Irenicus Germaniæ exegeseos *lib.* VIIII. *cap.* VII.

pridem omnes opinionis hujus rationes *Marcus Velserus* [a] sapienter monens, suo quidem judicio *Itinerario* illo *Augustano significari Elenchum ex hac tabula* [Peutingeriana] *exscriptum*, *in quo preter plerasque ad Rhenum urbes contineantur Danubianæ omnes* quascumque antiquitas vidit; quem forte abs amico quodam erudito ἀνονύμῳ Augustæ tum commorante transmissum *Irenicus* accepit.

V.

Ejus fata postquam detecta fuit sæculo decimo sexto.

HAC antecessione quasi quadam, eademque fortassis haud superflua, defuncti, ad ipsam *Tabulæ historiam*, clara ac jucunda brevitate describendam calamum nunc operamque convertimus. Visum vero nobis est universum isthoc negotium non facile commodius expediri posse quam si juxta *tria sæcula*, quæ ab illa primum iterum detecta ad hunc usque diem effluxerunt, narrationis nostræ filum componeremus, quæ fata singularia singulo ex istis sæculo, illa experta sit, sigillatim atque exposite recensentes. Non repetimus hic, quoniam supra monitum fuit, *Peutingerum* postquam tabulam abs *Celte* [b] traditam accepisset, sanctissime,

a Velserus in Præfat. ad fragmenta duo antiqua ex Peutingerorum Bibliotheca: Operum fol. 712. conlato fol. 772.

b Ex his atque superius dictis adparet duplici modo falsum

me, cimelii ad instar, sine tamen omni invidia, servavisse, atque intelligentibus amicis jucunda [a] cum voluptate subinde demonstravisse. Ex horum numero non temere cuiquam secundus Beatus Rhenanus postquam coram illam *Augustæ* atque studiose contemplatus fuisset, *primus* omnium eruditorum, quantum equidem adhuc constet a quopiam in publicis scriptis factum fuisse, in suis rerum Germanicarum Commentariis illius, & quidem iteratis vicibus mentionem injecit, pretium ex vetustate insigne commendavit, pro testimonio etiam subinde ad dicta abs se confirmanda commode usurpavit. Haud difficile fuerit ad credendum, insperatum hunc nuncium mirum apud illos atque ingens excitavisse gaudium, qui non inconsulto sicuti litteris universum, ita prisci præ-

sum esse auctorem vitæ Lucæ Holstenii IVOVNOY, quæ vernaculo sermone Hamburgi anno cIↄIↄccxxIII. 8. prodiit §. xxvI. pag. 28. memorantem tabulam Theodosii a Peutingeris (nescio quibus) repertam, & Augustæ primum publicatam fuisse, quo loco, & ad Adriani Valesii præfationem notitiæ Galliarum præfissam *p. 4.* provocat.

a Liceat ex multis unum facilitatis Peutingerianæ testem in medium proferre *Gerardum Geldenhaverium Noviomagi* titulo eruditis notissimum, qui primus Gymnasii Augustani Rector per aliquod tempus exstitit. Is alicubi in historia Batavica ita scripsit: *Horum Castrorum fit mentio in charta illa vetustissima, qua itinera* Romanorum militum ex provinciis nonnullis depicta continet. Hanc mihi ostendit clar. Vir. D. Chyonradus Peutingerus U. J. Doctor Patricius, ac Cancellarius nobilis Augustæ Vindelicorum, qui Secundus a Celte cognomine suo, Poeta laureato Patriam suam totamque Germaniam inlustrare cœpit. Confer opera Velseri fol. *769. seq.*

præſertim ævi monimentis eruendis, & in publicum uſum divulgandis, iſta ætate, quam optime cuperent. Hinc tam vehemens exſcriptam illam typis conſpiciendi deſiderium; quod vero, quo minus expletum fuerit ab ipſo *Peutingero*, quid impediverit, jam ſuperius itidem indicatum meminimus. Interim conceſſit fatis optimus ſenex *Peutingerus* decembri menſe anni CIↃIↃXLVII., filiiſque doctrinæ etiam ſuæ, atque virtutis heredibus, præter alias facultates non ſane contemnendas, *Bibliothecam* quoque *nobiliſſimorum librorum* ſuppellectili ſplendidiſſimam reliquit [a].

Jocari fere voluiſſe fortuna cum hac tabula videri poterat; ſi quidem fide omni digniſſimo *Velſeri* haud multo poſt viventis, & miro quodam animi cum impetu ſimiles veterum reliquias conſectantis, teſtimonio [b] exploratum habemus ab illius *inde Conradi* obitus tempore, *haud in cujuſquam* mortalium ipſam *conſpectum veniſſe amplius, quamvis ſæpius, & diligenter quidem, quæſitam*. Si quid nobis conjicere aliquantum liceat in hoc negotio: *Peutingerus* ætate provectiori ſenſim ingruente, quæ remo-

a Elogium hoc eſt Menardi Moltheri Auguſtani expreſſum ſcite, non minus quam vere in dedicatione ad Peutingerum præfixa primæ omnium eidemque rariſſimæ (quod ſingulari obſervatione Actis Eruditorum brevi tempore inſerenda demonſtrabimus) Myſticæ explanationis Wilrammi Abbatis in Cantica Salomonis editioni abs ſe Hagenoæ an. CIↃIↃXXVIII. in 8. curatæ. Comparetur etiam ſi lubet Hiſtoria Peutingeri *c.* II. §. III. *p.* 37. 39.

b Velſerus in præfat. ad fragmenta antiqua Opp. fol. 709.

motiorem ipſum ab eruditorum congreſſibus nimis frequentibus reddiderat, ſepoſuit forſitan ſollicite hoc monimentum, recondito quodam *Bibliothecæ*, ſive quod magis adhuc placet, *ædium* ſuarum angulo, & hoc quidem tanto juſtius, animoque tanto magis deliberato egiſſe cenſendus fuerit, quanto carius re vera habuit, atque æſtimavit ſingulare *ſchedæ* iſtius pretium; dememinit autem poſt hæc familiæ ſuæ expreſſum, ubi lateret, facere indicium. Fatemur nos quei aliter, & quidem ratione probabiliori hæc contingere potuerint haud proſpicere: interim, & his meliora docturis libenter admodum debebimus. Neutiquam vero, dum hæc ita eſſent comparata veluti diximus, refrixit eruditorum hominum *Tabulam* iſtam oculis ſive αὐτογραφον ſive, ἀπογραφον uſurpandi deſiderium; & mitigatum illud certe aliquo modo atque temperatum fuit poſt quadraginta fere, ac quod excurrit, annos: dum detegerentur forte in Peutingerorum Conradi nepotum Bibliotheca ſchedæ duæ, quæ externo habitu ſpeciem quamdam ſub primum aſpectum ipſius Tabulæ, tam frequenter exoptatæ referrent. Nemo unus iſto tempore Auguſtæ degebat priſcarum rerum intelligentior exiſtimator *Marco Velſero* variis jam tum publicorum munerum in civitate patria ornamentis, & ampliſſima doctrinæ inter eruditos fama condecorato, qui quum primum fragmenta iſthæc ad ipſum, uti arbitrum ageret delata fuiſſent, pro mira ingenii in his rebus ſui ſa-

ſagacitate confeſtim agnovit, non quidem ipſammet tabulam illas repræſentare; judicavit tamen conſiderate exiguas quaſdam inibi hujus particulas, ignotum, quo conſilio vel auctore, vel ævo deſcriptas, in neutra autem totam contineri, atque curioſis ſpectatorum oculis offerri. Et vatem certe heic bene conjectando optimum ſe exhibuiſſe clariſſimum virum, ſequutis temporibus adparuit abunde. Ceterum mox animum adplicuit *Velſerus* ad communicandum per typos has qualeſcumque reliquias cum erudito orbe [a], ſive intercidiſſet *verum Tabulæ autographum* omnino, ſive adhuc deliteſceret alicubi; quod poſterius ſe quidem *ominari* conceptis verbis profeſſus eſt, per inde ipſi gratas, atque utiles futuras. Calamo hinc illas ſumma cum adcuratione, & fide, ne minutiſſimis quidem erroribus etiam vitiiſque apertiſſimis exceptis aut immutatis, debita cum veterum ſcriptis ἀνεκδότοις quibuſcumque reverentia laudatiſſimo inſtituto, adhibita, expreſſas *Aldo Manutio* Paulli filio typographo Veneto perinclito amico ſuo litteris excudendas permiſit [b]. Effecit is ſtatim impe-

a Excuſas poſtea ſtatim ipſe ad Principes Litterariæ Civitatis Joſephum Scaligerum, Juſtum Lipſium, Joachimum Camerarium, & alios forte tranſmiſit; epiſtolis una ſcriptis humaniſſimis. *Vid. opp. Velſ. fol.* 791. *epiſt.* 111. *fol.* 815. *ſeq. ep.* 1. *fol.* 817. *ep.* 11I. *fol.* 841. *ep.* XXXVII. *rel.*

b Editionem Tabulæ Peutingerianæ Auguſtæ Vindelicorum factam, ſine tamen anni, aut formæ indicio, & quæ adeo Venetam hanc Velſeri præceſſiſſet, meminit doctiſſimus Gallus Jacobus le Long in Bibliotheque Hiſtorique de France fol. 2. qua tamen in re dubio procul omni a vero aberravit.

perata, & hoc indice: *Fragmenta Tabulæ antiquæ, in queis aliquot per Romanas Provincias itinera.* Ex Peutingerorum Bibliotheca, edente, & explicante M. Velſero Matthæi filio Aug. Vind. cum privilegio. Venetiis CIϽIϽXCI. apud Aldum 4. inſignitas nitidiſſime communi cum ſui atque editoris [a] laude in manus hominum exire primum juſſit [b]. Meruit certe hanc poſtremus tum aliis, tum hoc præcipue nomine, quod *explicationem fragmentorum* addidit non minus reconditæ doctrinæ plenam, quam admodum legentibus fructuoſam. Si quidem in illa modo vitioſe poſita correxit, modo obſcura explanavit, modo dubia ſtabilivit: uno verbo præter miſit nihil, quo lucem adfundi poſſe huic monimento, ob vetuſtatem ad intelligendum difficiliori, cognoverat. Enim vero deprehendit ſimul Velſerus alteram ex his ſchedam nitidius, atque luculentius depictam; alteram autem rudioribus litteris, & frequentioribus deſcriptoris vitiis deformatam.

 Neque

a Eruditiſſimorum illa tempeſtate hominum Laurentii Pignorii, Guidonis Pancirolli, Cæſaris Baronii, Paulli Merulæ, Theophili Raynaudi, & Erpoldi Lindenbrogii plauſus Velſero ob edita hæc fragmenta certatim tributos, pridem adnotavit C. Arnoldus in præfatione ad opera Velſeriana, quam exſcribere non vacat.

b V. C. Henninius loco jam ſuperius ad *cap* II. *in not.* excitato memoria lapſus eſt, quum ſine ſuo nomine Velſerum fragmenta edidiſſe prodidit. Contrarium & ipſe titulus, & ſubſcriptum dedicationi illorum ad Jacobum Curtium a Senftenaù S. R. I. Procancellarium præmiſſæ nomen manifeſte loquuntur.

Neque tamen hanc ideo abjiciendam rectissimo sensu statuit; quod exhiberet quæ in priori illa non invenirentur, usumque præstare posset per utriusque institutam comparationem depravatas passim alterius lectiones emaculandi. Denique ad calcem harum explicationum [a] liberaliter promisit, se, si aliquando ipsius Tabulæ autographum in manus suas pervenisset, illius vulgandi laborem non invitum esse subiturum. Et factus est sane ipsi post aliquot annorum decursum promissi hujus perfecte adimplendi locus; postquam in inquirendo nihil defatigari se passus, fortunæ pertinaciam superavit, & ipsam vel tandem tabulam in Peutingerorum scriniis magna sui cum voluptate detexit. Vix rei hujus fama in eruditorum republica percrebuerat, quum magnus statim procorum hujus Helenæ existeret numerus; qui intensissimis precibus *Velserum* deprecabantur, uti sibi illius copiam benevole faceret, edendique primum gloriam permitteret. Unus tamen inter hos voti damnatus *Abraamus Ortelius* Regis Hispaniarum Geographus, qui & triplici illam jure, ac titulo tantum non postulare poterat præter alios: tum quod per amplius viginti annos [b] nulli operæ ad illam recuperandam, ac stu-

a Conf. Opera Velseri fol. 769.

b Teste auctore Diss. Anonymæ, quæ ante editionem Ortelio-Moretianam; & repetita non minus in novissima Parergi editione, quam Balthasar Moretus Joannis filius Antuerpiæ anno

ſtudio peperciſſet, tum quod ſuo ævo in hoc ſtudiorum genere principatum [a] omnium conſenſu obtineret, tum denique quod inter amicos Velſeri magno valde loco eſſet. Obtinuit itaque ab ipſo haud difficulter; rato ſcilicet perinde ſe datam publico fidem liberaviſſe, ſi per alium æque bene inſtitutum hoc exequutus fuiſſet; & tabulis æneis eleganter deſcriptam in *Parergo*, quod vocat, *Theatri orbis terrarum* exhibere inſtituit. Antequam tamen ad colophonem perductum eſſet inſigne opus, a morte occupatur vir præſtantiſſimus, ſeptuageſimum jam ætatis annum ſupergreſſus, quam inſtare quum perſentiſceret, perficiendæ editionis curam amico veteri *Joanni Moreto* typographo apud Antuerpienſes nobiliſſimo, per teſtamenti tabulas provide commiſit, qui, & ſanctam habens, veluti par fuerat, defuncti voluntatem, poſtea ex aſſe implevit, Tabula hac *Peutingeri* in iſto Parergo cum eleganti ad *Velſerum* dedicatione, & adjuncta diſſertatione Anonymi pererudita, qua quid præſtitum ſit in hac *prima editione* expoſitum continetur, ſub finem anni CIƆIƆXCVIII. Antuerpiæ fol. divulgata. Conſpicitur itaque ibi Tabula *Peutingeriana* integra, & tali qui-

 dem

anno CIƆIƆCXXIIII. fol. max. curavit, quam inter opera Velſeri fol. 773. legitur. Ceterum ἀνόνυμον hunc ipſum eſſe *Velſerum* Moretus junior expreſſe monuit.

a Ipſe *Velſerus* in explicatione prioris Schedæ Oper. fol. 729. *Ortelio, quem ego non tam Regium Geogtaphum, quam Regem Geographorum adpellare ſoleo.*

dem omnino habitu, qualem illius esse capite secundo descripsimus; hoc uno tantum cum discrimine, quod *litteras*, quæ caractere Langobardico in exemplari principe efformatæ occurrunt, Romana forma sculptor, quæ scilicet magis commoda præ illo habebatur, expresserit. Testatur dissertationis Anonymæ modo nobis laudatæ Auctor nullam in se fidem, industriam, adcurationem Artificem desiderari passum fuisse; qualem quidem, quantamque præstare possit humanitatis conditio. Addit idem: in animo sibi primum fuisse *Velseri* exemplo *tabulam commentari*; sed abjecisse se rursus istud consilium, quum cognovisset, vastam, ac longam nimiopere hanc esse provinciam, unius hominis ætatem, ac vires excedentem; statuisseque demum indignum fore, si hoc quidem titulo doctorum virorum gaudia, dilata Tabulæ *editione*, diutius detinerentur.

Interim dum hæc fierent, veluti diximus, generosus *Velseri* animus, hoc, licet ingenti beneficio, eruditorum orbem sibi devinxisse non contentus, majora adhuc volvere, &, quum ipse ob negotialem maxime vitæ rationem, aliaque fortasse impedimenta haud adeo posset, de alio quodam viro docto recens editi *monimenti* singularis *interpetre*, ac *commentatore* circumspicere occœpit. Cluebat tum post *Ortelii* fata ex rerum Geographicarum peritia exquisitiori primus, idemque ipsi olim valde amicus, *Paullus Merula*, Ordinum Provinciarum Fœderatarum

rum Hiſtoriographus, & in Academia Lugduno Batava Hiſtoriarum profeſſor, ac Bibliothecarius, & fama erat haud temere vulgata, doctiſſimum virum in adornando quodam *Coſmographiæ* univerſalis opere ſtrenue invigilare. Hunc itaque adire noſter per litteras, amicitiam ambire, ut *Tabulam* hanc deſtinato commentario inſérere, inſertamque erudita *explanatione* illuſtrare vellet, multoties atque inſtantiſſime rogare, precari, obteſtari, immo etiam in ſubſidium tamquam ἐργοδιώκτας advocare Joſephum *Scaligerum*, & Juſtum *Lipſium* amicos utrique communes. Hodienum inter Epiſtolas *Velſeri* ab Arnoldo collectas, quæ ſcriptæ hanc in rem ſunt, haud adeo paucæ conſpiciuntur[a], atque ſummum *Marcio* publicum egregium, vel hoc etiam modo promovendi ſtudium, aperte teſtantur. Sed nihil is profecit omnino: immo obſtinato fere *Merulæ* ſilentio mirum in modum, tantoque quidem magis diſcruciabatur, quanto vehementius voti ſe hujus damnari cupiebat. Tandem vero hic[b] pu-

 blice

a Potiſſimas ſaltim adlegabimus. Pertinent vero huc ex illis ad Joſephum Scaligerum *Ep*. III. *fol*. 789. IIII. *fol*. 791. VII. *fol*. 793. VIII. *ibi*: XIII. *fol*. 796. XX. *fol*. 798. XXI. *fol*. 799. XXII. *fol*. 801. XXIII. *ibid*. XXVIIII. *fol*. 804. XXXIII. *fol*. 805. XXXV. *fol*. 806. XLVII. *fol*. 813. ad Lipſium *Epiſt*. XII. *fol*. 823. ad ipſum Merulam *Epiſt*. XXI. *fol*. 829. & XXII. *fol*. 831., quæ poſtremæ duæ totæ perlegendæ ſunt. Omnes vero, quantum cordi habuerit negotium iſtud *Velſerus*, confirmant.

b Merula in præfat. ad Coſmographiam generalem: *Ad ejus* (Tabulam puta) *illuſtrationem animavit me aliquoties ſuis litteris optimus* Velſerius, *& perviciſſet jam, niſi ad graviora fuiſſem avocatus*.

blice professus est, gravioribus se occupationibus distringi, scribenda potissimum latino sermone Ordinum Fœderatarum regionum jussu *Historia Belgica*, quo minus oblatam istam provinciam in se suscipere posset; hujus tamen in vicem promisit, monstraturum se aliquando *singulari opere*, quo pacto Tabula *Peutingeriana in minores partes* possit dividi, & libri instar edi, quod & ipsum tamen, si recte meminimus, haud præstitit.

V I.

Sequenti XVII.

HÆC fata fuerunt Tabulæ Peutingerianæ, sæculo sexto decimo; quæ insequuto habuerit, jam similiter exponendum est. Nulla ipsius Αυτογράφε per integrum istud ævum in eruditorum scriptis, quantum quidem sciamus, mentio occurrit; quod tamen constanter interea adservavit nobilissima Peutingerorum familia. Putaverim, hoc inde factum, quod dum *repetita* jam plus vice simplici illius *editio*, uti mox referemus, usum ipsius, atque copiam faciliorem redderet, plurimi in hoc adquieverint, de *principe exemplari* haud amplius adeo curiosi. Etenim, primus post *Ortelium*, *Petrus Bertius* Ludovici XIII Galliæ Regis Cosmographus clarissimus, quum insigni raritate

opus

opus [a] Theatrum *Geographiæ veteris* instrueret, Lugduni ex parte Batavorum a. CIƆIƆCXVIII. ex parte Amstelodami an. CIƆIƆCXVIIII. [b] sumptibus Jodoci Hondii majori forma excriptum, summi viri *Peirescii* hortatu, quod Gassendus docet [c], impulsus, *secundo illius tomo*, loco quarto, Tabulam *Peutingerianam* integram, una cum notis *Velseri* ad duplex ejusdem *fragmentum* eximie delineatam exhibuit iterum. Præstantissimi hominis exemplum imitatus est post triginta fere, & quod excedit annos *Georgius Hornius*, qui in adcuratissima *orbis antiqui* descriptione itidem Amstelodami anno CIƆIƆCLIII. apud *Janssonios* forma, quam vocant, regia impressa, simili consilio *tabulam nostram* intuentium voluptati tertium obtulit. Postremo *Christophorus Arnoldus* professor Noribergensis inter *Marci Velseri opera* in unum abs se volumen studiose collecta, & edita cum vita Auctoris Noribergæ anno CIƆIƆCLXXXII. fol. duodecim segmentis dispertitam repetitæ ibidem fragmentorum editioni inseruit [d]. Sub

 finem

a Hoc titulo, merito suo, Theatrum Bertianum ornavit V. C. Christianus *Gottlieb Buderus* in Bibliotheca Scriptorum rerum Germanicarum corpori Historiæ Germanicæ Struviano Latino præmissa §. 11I. fol. 8., quam utinam separatim impressam legere aliquando possemus.

b Non anno CIƆIƆCXXX. ut male excusum habet G. I. Vossius de scientiis Mathematicis p. 260. observante Fabricio Biblioth. Græcæ *l.* 111. *c.* XIIII. §. *2. p* 414.

c Petrus Gassendus in Vita Nicolai Fabricii Peirescii ad an. CIƆIƆCXXII.

d Occurrit tabula Peutingeriana integra in operibus Velseri a fol. *726.* ad 771. carptim proposita.

finem denique sæculi proximi Christianus Henricus *Henninius*, dum conversum abs se in latinum ex Gallico sermone Nicolai Bergierii de publicis & militaribus Imperii Romani viis commentarium eruditissimum, tum seorsim Ultrajecti anno CIↃIↃCXCVIIII. tum eodem tempore *Thesauro* antiquitatum Romanarum Græviano [a] adjunctum vulgaret, eamdem Tabulam, additis variorum notis, denuo excriptam dare constituit [b]. Repudiavit tamen iterum hoc statutum, postquam certis nunciis accepit, insignem rei antiquariæ consultum, *Mensonem Altingium*, Consulem quondam Groeningensem amplissimum, novam illius ἔκδοσιν, eamdemque elegantissimam ac fructuosissimam lectoribus parare, quam vero & ipsam præmatura illius fata nobis interceperunt.

V I I.

Et nostro demum XVIII.

PRimiscirciter hujus, quod nunc agimus, sæculi, viginti fere annis morte defunctus gentis suæ postremus *Desiderius Ignatius Peutingerus* [c] Decanus, quem vocant, Ecclesiæ principalis

a Frontem occupat Tom. x. Thesauri Graviani Bergierii liber.

b Hæc ita ipse Henninius in Prolegomenis ad notas suas in Bergierium Thesauri Græviani Tom. cit. col. *636*.

c Dedimus hujus viri notitiam ampliorem in Historia Peutingeri *c.* I. §. VIIII. *p.* 30. *seq.*

lis Eluangensis apud Suevos, Peutingerorum nomen ex his terris secum quidem abstulit : avitam vero Bibliothecam Collegio Societatis Jesu Patrum, quod Augustæ Vindelicorum est, testamento legavit [a]; qui & hodie illam singulari conclavi custoditam adservant. Hoc antequam contingeret, factum est bona fortuna, uti ipsum Tabulæ Αυτόγραφον, cui tantum non pristinæ similis, æqueve diuturna neglectu hominum oblivio [b] imminebat, feliciter iterum emergeret, atque in dias luminis auras quasi postliminio reduceretur. Præstitit hoc vir inlustris, & tum meritis in patriam, tum bonarum litterarum cultu, ac patrocinio *Conrado Peutingero* omnino suppar *Volfgangus Jacobus Sulzerus* filius, Senator hoc tempore Augustanus amplissimus [c]. Is forte Julio mense anni CIϽIϽCCXIV. Peutingerorum Bibliothecam, privatis tum adhuc ædibus [d] custoditam, erudita curiositate perlustrans, offendit inter alia hanc tabulam squalore, ac situ obductam, & non certe pro di-

a Confer sis eamdem *c.* II. §. III. *p.* 37.

b Immo vero pro deperdita iterum penitus existimata fuit inde quibusdam eruditis. Verbi caussa Christiano Hubnero in Differt. de Studio Geographico in genere §. 113. *pag.* 27., & *Joanni Godofredo Gregorii*, qui alias *Mellissantis* nomen adoptavit in *Tract. Von den vornehmsten alten und neuen Land-Charten.* C. III. §. 7. *p.* 31.

c C F. Neickelii Museographia a Joanne Kanoldo aucta *par.* I. *cap.* V. *pag.* 24. *not. p.*

d Superfluum foret huc repetere, quæ de ædibus Peutingerianis dicta jam sunt alibi; in Diss. nempe nostra *cap.* II. §. II. *pag.* 37.

dignitate in obscuri cujusdam anguli latebris reconditam.

Effecit mox publici boni studium apud virum generosum, qui abunde satis justum inventi hujus pretium, præ ultimo isto possessore, intellexerat, ut serio cogitationes adverteret, qua ratione nobile istud monimentum tenebris eximi iterum, atque inlustriori aliquo loco reponi quam commodissime posset. Persuasit hinc Paullo Kuhzio, bibliopolæ tum apud Augustanos eximio, uti suo Tabulam ære abs Decano Peutingero redimeret: quod, & salubri valde pretio post aliquod tempus confectum accepimus. Interim ubi hæc tum publicis [a], tum privatis litteris innotuissent, obtulissetque illam rursus amatoribus Kuhzius venum, una statim plures, tum Principes, tum illustres, tum eruditi viri alii sua tamquam emptores nomina profitebantur. Hos inter, præter *Serenissimum Ducem Brunsuico-Guelferbytanum*, amplissimum etiam Senatum Lipsiensem [b], perillustrem virum *Hieronymum Guilielmum Ebnerum ab Eschenbach*, Senatorem Reipublicæ Noribergensis consularem, nobilissimum *Christianum Gottlieb Schuarzium* professorem Altorfinum clarissimum extitisse certa nos fide exploratum habemus. Unus

a Vid. Leipz. Wochentliche Post-Zeitungen. von gelehrten Nevigkeiten an. cIↃIↃCCXV *n.* XXVIIII. *p.* 116.

b Confer insignis viri *Eberhardi* Davidis Hauberi Versucheiner umstaendlichen Historie der land Karten. *par.* 1. *sec.* 1. *cap.* 6. *pag.* 15. *seq.* ejusdemque Zusaetze Zuder Historie der Land. Karten. *p.* 5.

Unus vero obtinuit, magnoque ſumtu ſibi vindicavit celſiſſimus Sabaudiæ Princeps Eugenius Franciſcus, cujus vel ſolum immortale nomen complectitur quidquid in bellicæ virtutis gloria ſummum, & in litterarum ſtudiis maximum humana mens poteſt concipere; atque inter Bibliothecæ ſuæ regiis theſauris ſuperbientis gazas, non poſtremo loco, ad hunc uſque diem conſervat. Fata hæc quidem fuerunt *Tabulæ Peutingerianæ*, tum autographi ipſius, tum impreſſorum inde exemplarium, qua fieri potuit cum adcuratione ac fide hactenus a nobis deſcripta. Supereſt quod adhuc moneamus unicum: eruditum nempe illum virum, qui nuper demum Bruxellis anno CIƆIƆCCXXVIII. forma, quam in quarto dicunt, commemoratum jam ſupra *Nicolai Bergierii* librum Gallicum *de viis Romani Imperii publicis, ac militaribus* excribi iterum juſſit, ſub finem octo tabulis æneis, commode admodum conglutinandis, itidem illius *Iconem* exhibuiſſe, ſequutum hac in re ipſius Bergierii conſilium [a]. Ceterum quod initio promiſſum fuit, jam adhuc debita cum induſtria expediemus, quæ ſcilicet ad criticam *Tabulæ cognitionem* quomodocumque faciunt, de ipſius puta *ætate, auctore, uſu, pretio, elogiis, nævis*, atque demum *illuſtratoribus* grata itidem brevitate relaturi.

VIII.

a Ipſe enim in præfat. Bergierius auctor eſt in recondita hujus operis ſui ſe penetrare volentibus, uti ipſam tabulam cum ſua Hiſtoria viarum conferant, quippe quæ oculis exhibeat depictum, quod deſcriptum liber. Conf. la Gazette *des Savans a Antuerp.* 1729. *n.* 11. *B.*

VIII.

De Tabulæ ætate, Auctore, & usu.

ET ad ætatem quidem primum quod ſpectat, in hoc vero unanimis eſt eruditiſſimorum hominum, neque rationibus plane deſtituta conſenſio, *venerandæ* illam antiquitatis, vel ipſo ſtatim adſpectu indicia præ ſe ferre. Qui princeps hac de re publice ſententiam dixit *Beatus Rhenanus,* ſub ultimis *Imperatoribus* depictam pronunciavit. Hoc aliquanto timidius effatum atque obſcurius, ita declarat *Velſerus* [a], ut *ultimorum Imperatorum* nomine, non quidem intelligi debere ajat illos, qui poſtremi *Imperatorio* nomine in *Occidente* uſi eſſent, ſed qui poſtremo *provinciarum potiti*, quarum in Pinace *Peutingeriano* itinera deſcripta inveniantur: qua ratione adoptata *poſtremorum*, *poſtremiſſimi* cenſendi eſſent *Theodoſius* major atque filii. Neque fieri etiam potuiſſe addit vir doctiſſimus, ut *Theodoſio nepote,* hoc eſt ſæculi quinti Chriſtiani auſpiciis, *recentior* Tabula habeatur, quum certis hiſtoriæ teſtimoniis conſtet, quod jam ante illum, ſub *Arcadio* ipſius Patre, atque *Honorio* Imperatoribus, Barbari pleraſque provincias in charta iſta delineatas, alias *non multo poſt* in poteſtatem ſuam redegerint: unde neutiquam ſimile veri exiſtat, *Roma-*

[a] In præf. ad fragmenta Tab. antiquæ. *Op. fol.* 713.

manos itinera per Provincias a Barbaris jam occupatas descripsisse. Delatus inter hæc est ad Velseri manus vetustus aliquis, sed ineptus auctor, cui *Dicuil.* nomen, patria Hibernia tribuitur vulgo, abs *Rhenano* etiam in *præfatione* ad *Procopium* memoratus, qui singulari libro, heroici carminis genere *de mensura orbis terræ* commentatus, retulerat alicubi, *Theodosii Imp. jussu terrarum orbem descriptum*

Ter quinis aperit cum fascibus annum.

Alio etiam loco, quem ex *Matthæi Raderi* indicio [a] demum advertit, versu nempe præfaminis carmini præmissi octavo, ita posuerat.

Dum scribit, pingit & alter.

In utroque luculentissimum de Tabulæ ætate testimonium deprehendere sibi mox videbatur vir illustris; quorum postremus neutiquam obscure *picturam* innueret, alter vero, cujus potissimum *Imperio* ac voluntate delineata esset, manifeste loqueretur. Prioris autem versus sensum principio ad xv. *Theodosii Jun.* consulatum adcommodavit, ipsique hujus operis suscepti gloriam tribuit [b]. Mutavit tamen rursus mentem, & decimum quintum Imperii *Theodosii majoris* annum designari istis verbis potius habuit, in peculiari quadam ad *Josephum Scaligerum* [c] epistola. Postremo iterum dubius nihil

a Vide omnino vitam *Velseri* ab *Arnoldo* scriptam, & operibus præmissam fol. 65.

b Præf. ad Fragm. fol. citato mox.

c Epist. ad Scaligerum v. fol. 791.

hil omnino definire ſuſtinet, & ſagacioribus de his conjecturis amplius arbitrari permiſit.

De auctore Tabulæ res multo eſt impeditior. Plerique incertum, & recte quidem, noſtro judicio, ſtatuunt. Unus *Philippus* Cluverius; ſcriptor eximius, aliquando [a] *Ammianum Marcellinum* hiſtoricum graviſsimum conditorem operis exiſtimavit: cui & alterum illud *itinerarium*, quod *Antonini Auguſti*, aut *antonii Auguſtalis*, aut etiam *Æthici* cujuſdam, aut *Julii oratoris* nomine vulgo circumferunt, ſimili plane tempore conſcriptum, fortaſſe deberetur. Utrumque tamen modeſte ſatis adſeruit *Cluverius*, nemini non omnino improbabilis opinionis fidem ultro obtruſurus. Ceterum de hoc quidquid vel tandem cenſendum fuerit, exiſtunt inter eruditos nonnulli [b], qui majus omni exceptione argumentum deprehendiſſe ſibi viſi ſunt, Ανώνυμον illum Chriſtianæ doctrinæ placitis adhæſiſſe, quod Moſis atque *Iſraelitarum legis* item in *monte Sinai* latæ ex Veteri, divi autem *Petri* ex Novo, uti dicitur, Teſtamento conceptis verbis in *Pinace illo* expreſſa mentio occurrat.

Majoris denique adhuc momenti diſquiſitio reſtat de ſcopo, ac *fine* concinnatæ hujus *Tabulæ*; quo nimirum rite determinato, non poteſt non verus etiam illius *uſus* diſpaleſcere. In con-

a Cluverius German. antiq. *l.* I I. *c.* v.

b Verbi cauſſa auctor Diſs. Anonymæ in editione Tabulæ Moretiana. Bertius in præf. ad Theatrum Coſmographiæ veteris. Cluverius loco adlegato. Bergierius de viis Rom. Imp. publicis *l.* I I I. *ſect.* V I I I. §. 4.

contraria autem valde hoc passu abeunt duumviri doctissimi, quibusque nemo temere in isto negotio dijudicando fuerit intelligentior, aut oculatior, *Velserus* nempe, atque *Bergierius*. Enim vero ille curate omnibus perpensis, hanc fere sententiam amplectitur: Chartam hanc esse *itinerariam* a *Metatore* quopiam, qualium creber [a] apud priscos Romanos in castris usus, descriptam, & *dirigendis militiæ itineribus*, notandisque mansionum, civitatum, trajectuum rel. intervallis adcommodatam, ut quæ *libello* antea itinerario [b] nudis nominum titulis adlegata fuerant, jam & in hac tabula *picturæ* beneficio studiose expressa, *Imperatorum*, ac belli ducum sensui evidentius subjicerentur. Quo tamquam fundamenti loco posito, mirum sane cuiquam non futurum putat, si mathematica ἀκρίβεια in Tabulis geographicis conficiendis maximopere alias requisita, heic quidem omnino desideretur, atque manifeste adpareat, *non erudito scholarum pulvere natam, sed in turbido Castrensi elucubratam*, auctori matheseos penitus experti illam fuisse. Hunc præterea *membranæ* istius finem præcipuum, ex Velseri mente, arguit amplius, quod exhibeat luculenter *tabula Peutingeriana*, *lineas viarum pu-*

a Vegetius de re militari *lib.* II. *cap.* VII. Metatores, qui præcedentes locum eligunt Castris.

b Inlustria admodum sunt loca *Lampridii* in vita Alexandri Severi, & *Ambrosii* sermone v. in Psalmum CXVIII. de istiusmodi Itinerariis *Romanorum* a Velsero commode in præf. cit. fol. 710. scilicet adducta, & explicata.

publicarum, atque *militarium*, *numerosque* additos, spatiorum indices; quod, & illæ tantum mansiones, stationesque indicatæ ibi sint, quæ in *vias* delineatas incidant, omissis subinde aliis urbibus clarioribus, non profecto temere prætereundis, si quidem *auctor* dedita opera geographum agere voluisset [a], quem heic adeo frustra prorsus requisiveris.

Contrarium quod diximus *Bergierii* de *Tabula nostra* judicium huc redit fere. Scilicet is arbitratur, formam illius, quam *Velserus*, atque cum ipso plures alii tanquam ineptam, atque inconcinnam reprehenderint, & maximo auctori vitio posuerint; quod nempe in nimiam, propemodumque excedentem longitudinem excurrat, latitudinem contra valde opere arctam habeat, unde non fieri, non potuerit, ut, quod ait *Velserus* [b], neque provinciarum circumscriptiones & figuræ, neque littorum extremitates, neque fluviorum decursus, neque locorum intervalla geographicis canonibus respondeant; formam, inquam, istam plane singularem, non conditoris ignorantiæ, sed rationi potius deliberatoque consilio tribuendam esse. Institutum nempe hoc ipsi fuisse [c] de industria in hac tabula exhibere totum Imperium Ro-

a Inspicienda heic integra *Velseri* ad fragmentorum editionem eruditissima præfatio; qui quod de illis ibi pronunciavit, de ipsa etiam post hæc tabula ex animo statuit.

b Velserus loco cit. fol. 710.

c Maluimus hoc loco itidem Bergierii mentem Henninii verbis, quam nostris exprimere.

Romanum, tamquam plateam aliquam, sive iter longissimum, & coactum in arctum, atque in eo vias Imperii publicas quasi per synopsin uno oculi intuitu videndas depingere: & sic subjicere oculis per earum longitudinem & multitudinem, quam longa, & multa fuerint opera illa, hominum industria elaborata, quæ duabus istis longitudine, & multitudine omnia totius terrarum opera superarunt. Paucis, oculis visendam quasi objicere voluisse Romanam magnitudinem, & potentiam, & maximum in terris miraculum. Infert inde *Bergierius*, neque geographum, quod & ipse agnoverit *Velserus*, neque metatorem etiam, quod persuasum ille tamen voluit mortalibus, se *Auctorem Tabulæ* heic præstitisse [a]: additque, secundum propositi modo descripti rationes, sine ullo plane vitio ipsum veram *Romani Imperii*, partiumque ejus latitudinem pensi habuisse; de *viarum* quippe publicarum, peculiaribus *lineis* sollerter designandarum, *longitudine* tantum, dum hæc ageret, sollicitum; quam convenienti quoque mensura secundum consuetam *Milliarii* Romani regulam denumeravisset. Hac denique sententia admissa, recte idem concludit, desituros esse *Tabulæ* in posterum spectatores de neglectis heic ortus, occasus, aquilonis, & austri accuratis distributionibus, & non observatis ullo modo *longitudinis*, atque latitudinis gradibus,

[a] Legenda hanc in rem tota *Sect.* VIII. *lib.* III. Commentarii Bergieriani.

bus, quorum nempe summa est apud *geographos* cura, conqueri, *auctoris* ita *fine* penitius intellecto, ac libenter ipsum ignorantiæ præter meritum impactæ absoluturos esse [a]. Nobis certe, erudite non minus, atque considerate, quam summa cum modestia proposita abs *Bergierio*, & heic in compendium contracta sententia præ illa *Velseri* adsensu longe dignissima habetur.

I X.

Pretio illius item, atque elogiis.

POterit jam ex hactenus disputatis haud difficulter justum institui de vero Tabulæ pretio judicium. Quamvis enim, quod sapienter monuit *Velserus* [b], egregie fallatur, si quis hinc eum usum speret, quem ex geographicis Pinacibus diligentissime, & scientissime confectis requirere est integrum; non tamen omnino nulla habetur recte ipsius in *Geographia veteri*

a Opportune hac in caussa Bergierius ad Bertii auctoritatem provocat de Tabularum apud veteres usitatarum discrimine, sequentia in præf. ad Theatr. Cosmograph. veteris diligenter inculcantis: Planarum, ait, tabularum duplex ratio fuit: una rudior ad itinerum tantum directionem comparata; qualis est Theodosiana, seu Peutingeriana, quam nos damus: altera adcuratior facta ad constitutionem cælestem, quæ sphæræ orbem universum repræsentantis positionem, quo ad ejus fieri potest, in plano refert. Illa Græcis πινακογραφία dicta est, hæc σφαιρογραφία.

b Velser. præf. ad fragm. f. 712.

teri auctoritas. Immo vero tribuerunt hanc *Peutingeri* membranæ admodum subinde insignem viri eruditissimi; eamdemque præcipue emendando, quod nuncupatur *Antonini Itinerario*: quo multis nominibus hinc inde potior est [a], feliciter, & fructuose adhibuerunt [b]. Provocant item diligenter ad ejus *fidem*, qui singulari opera priscam, sive *historiam*, sive geographiam commentandam, inluminandamque susceperunt, scriptores multo gravissimi; adeo-

a Unus instar omnium de hoc argumento consuli meretur *Bergierius*, qui in suo de publ., & milit. Rom. Imp. viis, sæpius ac numquam satis laudato Commentario lib. III. singulari sectione VIIII. integra, comparationem Chartæ *Peutingerianæ* cum Itinerario *Antonini* instituit, quantumque conveniant inter se, ac differant, doctissime ostendit.

b Conf. præter Velserum præf. ad fragm. f. 715. *Merula* præf. ad Cosmographiam generalem: ubi ita inter alia: Itinerarium *Antonini* majori cum fructu usurpavi, commissum cum amplissima tabula Itineraria, quæ ductu Joannis Molleri (Moreti) diligentissimi Typographi; auspiciis autem viri nobilissimi *Marci Velseri* Duumviri Reip. Augustanæ, ex illustri Peutingerorum Bibliotheca in lucem prodiit. Plus habet illa in recessu, quam frons pollicetur: licet infinita ibi sint depravata, & turbatioris ordinis, tamen comparata cum Antoninianis (quibus & hinc medicina non semel per me petita) nullo negotio possunt corrigi, & ad sua revocari castra: quod non infeliciter a me factum in Gallia, Italiaque res ipsa docebit. Procurrit hæc tabula ab occidentali Oceano per continentis totius longitudinem ad Orientalem usque, singula notans loca, necnon locorum, industria stupenda, distantias, & intervalla. Totum complectitur, quantus quantus est, Antoninum; alterumque tantum, & amplius adponit, si civitates, urbes, oppida, pagi, fluvii, aliaque talia diligenter examinentur: digna certe, quæ sedulis doctorum, non magistellulorum manibus teratur. Adde Vossium de Scient. Mathem. cap. XLIII. §. 9.

que, quantum *Tabulæ* pretium sibi fiat, luculenter demonstrant. Ex illis honoris caussa adpellavisse heic tantum liceat Inlustrissimum *Henricum* de Bunau, atque Excellentissimum *Joannem Jacobum Mascovium* [a], vera gentis nostræ, ac sæculi ornamenta; inter hos vero clarissima *Paulli Merulæ*, & Christophori Cellarii nomina [b], probandis quæ diximus, abunde suffecerint præ multis aliis. Hinc, & tam exquisita passim in præstantissimorum Auctorum libris *Tabulæ* elogia deprehenduntur, quæ operose huc conferre [c] tanto minus necessarium arbitramur, quanto frequentiora cuivis vel leviter in illis perlustrandis, legendisque occupato, occurrunt.

X. *Ac*

a Uterque in elucubratissimo Germanicæ Historiæ opere haud raro tabulæ fidem consideratæ adpellat.

b Merulæ Cosmographiam, & Cellarii Notitiam orbis antiqui evolventibus vel primo intuitu adserti veritas constabit.

c Pridem Andreas Schottus in præf. ad Antoniniani itinerarii editionem, Hieronymi Suritæ commentariis expositi, nihil ex antiquis monumentis, quæ exstant, cum tabula conferri, nedum præferri posse ipsi pronunciavit. Nostro autem demum ævo intelligentissimus antiquitatum, idemque nobilissimus rusparor, Scipio Maffejus, in comparatione Inscriptionum, & numismatum, adpendicis instar de interpretibus Etruscis (Traduttori Italiani &c. Venet. an. 1720. in 8.) Commentariolo adjecta, de ejusdem pretio graviter sententiam dixit. Conf. Acta eruditorum an. CIↃIↃCCXXIII. p. 230.

X.

Ac demum nævis.

HAbent vero etiam, quod sileri prorsus non debet, & ipsa *Tabula Peutingeriana*, & fragmenta ista duo, Velseri doctrina insigniter conlustrata, nævos utique suos atque *vitia*, quæ in cujuscumque illorum spectatoris aliquanto intelligentis oculos facile admodum incurrunt, ac tum ab ipso *Auctore*, tum a *descriptorum* negligentia merito derivantur. Fragmentorum maculas adnotavit partem, partem etiam absterfit idem eruditissimus Velserus. Ipsius vero Tabulæ errores, neque adeo paucos, neque interdum leves *Bergierius* [a], Cluverius [b], Cellarius [c], & plures forte alii communi ore conqueruntur.

a Bergierius toties excitati Operis *l.* III. *sect.* VII. §. 7. *&* 8. *sect.* VIII. §. I I., *&* *sect.* VIIII. §. 4. 7.

b Cluverius in præf. ad Germaniam antiquam fol. 4. Restant, ait, duo Itineraria, quorum alterum Antonini, sive Antonii cujusdam nomini adscriptum: alterum tabula illa incerti auctoris refert in prælongum producta. Utrumque ingentis usus opus, si post Barbarum illud sæculum, quo librariorum incredibili imperitia, incuriaque corrupta fuerunt, salva ad nos, sanaque transiissent. Nunc mutila, manca, detorta, ac plurima ex parte depravata, nil nisi meras tenebras Geographiæ antiquæ ignaris offundunt.

c Cellarius præf. ad Tom. I. Notitiæ orbis antiqui pag. B. 2. Multis hæc (charta Peutingeri) inquit, nævis quoque vel describentis vitio, vel auctoris ipsius est referta; certior autem distantiarum numeris, quam *Æthici*, seu Antonini Iti-

Nolimus autem ex illorum censu haberi in posterum, quos pridem, veluti superiori capite octavo dictum est, tamquam injuste imputatos, ingeniose non minus ac vere dispunxit ejusdem Bergierii perspicientia: quod nempe in situ urbium, immo provinciarum integrarum, mira regnet confusio, atque perturbatio; quod neque littoralis maris oræ, sive Oceani, sive Mediterranei delineatio; neque sinuum etiam, neque Promontoriorum latitudo veritati naturali ad amussim geographicam respondeant, & quæ his plura sunt congemina. Restant sane *vitia* alia, quæ modo ipsi Tabulæ conditori, & optimo quidem jure, adscribenda; sed condonanda quoque iterum ætatis, qua vixit, & humanæ conditionis habito respectu; modo *exscriptorum* oscitantiæ in nominum orthographia, numerorumque, quibus notantur locorum intervalla, signis, infinitis fere modis peccantium tribuenda fuerint; sed tollenda rursus, atque emendanda *Velseri* exemplo, satis commode, ubi manum eruditis atque industriam adhibere libuerit.

XI. *Qui*

Itinerarium. Quod vero per lineas in ortum procurrentes cuncta tradit, & adhuc maria compressa habet, flumina distorta; dubios sæpe, & incertos relinquit, qui verum locorum situm, atque naturæ faciem inquirunt.

X I.

Qui Tabulam ex parte inlustrarint, aut inlustrare etiam integram promiserint.

TEntatum hoc certe plus vice simplici a doctis hominibus publico litterarum bono, institutoque laudatissimo novimus; omnino tamen perfectum, & singulari quodam opere absolutum adhuc impatienter desideramus. Longum nimis foret illorum heic instituere singularem omnium recensum, qui ad inlustrandam, purgandamque mendis hanc *Peutingeri Tabulam* variis in scriptis Historici, Geographici, & Antiquarii potissimum argumenti calamum, mentemque adverterunt: quem plenum, quantum ejus fieri quidem poterit, alio quodam loco, ac tempore fortassis proponemus. Suffecerit in præsens duo saltim eruditorum exempla, in primis conspicua, non dememinisse; qui simile quid, eximio conatu nostratibus, quod optamus, imitando effecerunt, Gallum unum *Joannem Baptistam Nolinum* auctorem operis, *Gallia utraque, Cisalpina, & Transalpina* rel. inscripti [a], alterum *Anglum Joannem Hoasby*

[a] Index libri integer hic est: Gallia utraque, Transalpina nimirum, & Cisalpina in præcipuas partes, ac nobiliores populos, juxta *Cellarium* præsertim, divisa; ubi adposita sunt itine-

artium magiſtrum, & Societati regiæ ſcientiarum Londinenſi adſcriptum, recentiſſimi libri *Britanniæ Romanæ* titulo, hoc demum quo vivimus anno emiſſi [a] conditorem: quorum utrumque *Peutingeri* chartam, quatenus nempe illa tum *Galliam*, tum Britanniam repræſentat, doctis commentariis inluminaviſſe accepimus. Interim, quod modo monitum fuit, nemo unus extitit hactenus in univerſa litteraria civitate, qui *integram Tabulam* idonea *explicatione inſtructam*, atque exornatam emitteret in publicum; licet plures uno ſperare hoc de ſe fecerint, iique primarii quidem doctrinæ fama viri. Ne enim de interceptis Anonymi præfationibus ad *Tabulæ editionem Muretianam* Auctoris, itemque *Merulæ* hanc in rem deſtinatis denuo commemoremus; *Hermannus* primum *Conringius*, ſummum in his veluti, & aliis litteris nomen, quum tertium *Taciti de moribus Germanorum* libellum cum notis criticis vulgaret, adjuncta conlectione *monumentorum veterum de antiquo Germaniæ ſtatu* referentium in animo habuit hanc ipſam tabulam Peutingerianam cum neceſſaria expoſitione

itinera militaria Imperii Romani ab Urbe has in regiones deducta, ex itinerario *Antonini*, & aliorum, *&* *Tabulis Peutingerianis* excerpta, auctore Joanne Baptiſta *Nolin*. Pariſiis an. cIↃIↃCCXIV. fol. Clariſſimus le Long, qui illum in Bibliotheca hiſtorica Galliæ fol. 3. adlegavit fol. 7. verum auctoris nomen eſſe ait *Jean Nicolas; Abbè du Tralage*, mortuumque anno cIↃIↃCXCVI. ſimul adfirmat.

a Conferantur interim die neve Zeitungen von geleherten Sachen anni cIↃIↃCCXXXII. num. LIII. p. 468. ſeq.

tione adjicere; nisi typographus, nimias impensas veritus, renuisset [a]. Post hunc doctissimus Gallus *Claudius Nicasius*, eamdem simili modo edendam, cum Bergierii de viis Romanis libro promisit [b]; fatis tamen ab exequendo praeclaro consilio fuit prohibitus. Clarissimum Henricum Christianum Henninium, eadem prorsus mente volventem, aliam postmodum induisse, intellecto *Mensonem Altingium*, nobilissimum virum, de vulganda brevi tempore *Tabula cum commentariis* cogitare; superius jam est memoratum. Enim vero & ipsa haec desideratissima certe eruditis, quicumque aestimare hominis doctrinam didicerant, & optima inde quaelibet sperabant. *Altingii* editio, ipso ad diem 2. Augusti anni CIↃIↃCCXII. defuncto, aliquantisper dilata: posteaquam, cui relictae operae in lucem producendae cura demandata fuerat, *Hadrianus Relandus*, una cum tabula Peutingeriana caetera etiam *veterum itineraria* proxime publicaturus, supremum itidem, anno saeculi hujus septimo decimo, diem obiisset [c], frustra jam amplius expectari posse omnino existimatur.

XII.

a Editio haec *Taciti* Conringiana vulgata est Helmestadii anno CIↃIↃCXXXVIII. 4. Locus autem, quem heic innuimus §. IX. praefationis occurrit.

b Pollicitus fuit hanc editionem Nicasius in singulari differ. de numo Pantheo Adriani Imp. adnotante J. A. Fabricio Bibl. Latin. volum. altero in Indice sub voce *Tabula* p. m. 921.

c Debemus hanc notitiam eidem clarissimo Fabricio. Bibl. Latin. volumine tertio; itidem in Indice voce *Tabula* p. 999. suppeditatam.

X I I.

Concluſio .

CÆterum nos quemadmodum Tabulæ Sereniſsimum Principem poſſeſſorem merito gratulamur, ita ſub finem qualiſcumque hujus commentationis reipublicæ litterariæ cauſſa optamus ſerio, ut exſurgat aliquando *celſiſſimi Herois* auſpiciis, dignus illa *Velſerique* doctrina æmulus commentator, immortali ſic ſibi beneficio eruditum orbem, quam certiſsime devincturus.

DE
FORMULA ANTIQUA
REI TESTAMENTARIÆ ROMANÆ
EXERCITATIO
JO: CONRADI STIGLITII
AD NOBILISSIMAM SOCIETATEM
COLUMBARIAM FLORENTINAM.

VIRIS

VIRIS ILLUSTRIBUS DOCTISSIMISQUE

ACADEMIÆ COLUMBARIÆ FLORENTINÆ SODALIBUS

S. P. D.

JOANNES CONRADUS STIGLITIUS

EORUMDEM SOCIUS.

A*Rgumento ſatis firmo ex humanitate & genio eximii celeberrimique collegæ* Veſtri Ant. Franc. Gorii *ſcientiarum & amicitiæ noſtræ honoris, ad* Veſtratem *ducto, quin etiam conſiderata nobiliſſimæ ſocietatis* Veſtræ *ſuprema lege, propagatione videlicet quarumvis ſolidiorum doctrinarum, qua glorioſe adhuc defuncti eſtis, quam feliciſſimo ſucceſſu proſequimini, ſaluberrimo fortaſſe conſilio conſtitui, ſpecimen hoc ſapientiæ Romanorum civilis ad* Vos *ablegare; ne aditum ei præcludatis, per ego* Vos *omnia, quæ cara ſunt Muſis & Sancta, obteſtans,* Illuſtres Doctiſſimique Sodales. *Hauſtum eſt ex variis fontibus, ratione naturali ac civili: ac vel ideo ad Vos properat, quum ſcientiarum flumina in ſocietatem* Veſtram, *quaſi in Oceanum, confluunt, & inde ad quicquid cogitationibus* Veſtris *objicitur, effuſiſſime redundant. Scilicet ob inſignem illum ſummumque nexum, quo quælibet inter ſe junguntur, concurſus ſcientiarum requiritur ad quævis argumenta rerum, etiam quam maxime ſingularia, prorſus exhauriendum. Studia ſingulorum in eo vincuntur a ſtudiis ſocietatum eruditorum, qui com-*

communibus quasi aquarum inductionibus campis suis fœcunditatem dare possunt multo majorem, incrementum Musis eo largissime afferentes: quemadmodum salus ipsius generis humani, civitatibus institutis, conjunctis viribus magis juvatur, amplificatur, augetur. Macti igitur felicitate estote, Eruditissimi socii, *quo ingenia* Vestra *praeclari quid semper anquirere pergant, quo ingruentem istam barbariem averruncare, splendorem eruditae Antiquitatis instaurare, ejusdemque alumnos benignitate* Vestra, *pro more, in posterum fovere possitis. Dab. Numburgi Saxonum, e meo Museo*, v. *Kal. Decembr.* CIↃ.IↃ.CC.LI.

PRO-

PROLUSIO

Comparatio successionis ex intestati testatique caussa in statu naturali ac civili Romano.

I. VArias introducti rerum dominii caussas mihi meditanti ea tandem verosimillima visa est, quae antiquissimorum temporum facie, a *Perizonio* in *Origin. Babylonic.* quoad ejus fieri potuit, egregie repraesentata, in primis nititur, scilicet cupiditatum humanarum libidinumque expletio partim, partim sua cujuslibet conservatio. Utroque isto fine, statim ac dominus exspiraverit, expirante, dominium quoque extinctum, res in pristinam caussam redactae, ideoque nullius factae, necesse est, censeantur. Quod principium etiam in jure Populi Rom. regnat *leg.* I. *D. de Rer. divis.* Videlicet res, morte domini, in patrimonio ejus vere existere desinunt, per fictionem vero hereditas jacens personam defuncti sustinere dicitur, *leg.* 3. *de*

her.

her. inst. leg. 34. de acq. rer. dom. §. 2. 1. de her. instit. pr. 1. de stip. serv.

II. Qui voluntatem suam acquirendi res derelictas primum clare & sufficienter cæteris declarare potest, is occupasse intelligitur. Dominium si sola apprehensione corporali acquireretur, qualis quidem opinio sedere cœpit, majori jure omnino præditus foret potentior: quippe infirmiori custodiendoque impari possessori rem occupatam rursus vi extorquere posset, sub obtentu, quasi ille non perfecte possedisset, nec sufficienter custodiisset, ac proinde minus plene occupasset. Adeone futurum, ut vita hominum degeneret in vitam piscium, ubi major minorem devorat. Ergo occupationis forma potius consistit in declaratione animi rem nullius sibi habendi, quæ fieri potest, vel verbis, vel facto & re ipsa; idquod jam perspectum cognitumque habuisse videtur *Trebatius* ICtus, *l. 55. de acq. rer. dom.* Prudenter tamen consultum est, ut, rite significato animo rem nullius sibi habendi, apprehendat occupans, custodiæque suæ inferat, ne intentionem occupandi mutasse, verum jus cœptum prosequi videatur. Imaginem definitæ occupationis sigillatim in heredibus repræsentat jus Romanum. Simulatque is voluntatem suam expresse declaravit, stilo civili, *hereditatem* adiit, vel tacite, scilicet factis, quæ fusius describuntur *l. 20. de acq. vel om. her.* animum significavit, id quod stilo civili *pro herede gerere*,

rere, *§. ult. I. de her. qual. & diff.* seu *pro domino facere & administrare l. 22. fin. de acq. vel om. her.* dicitur, hereditatem statim a morte testatoris acquisivisse intelligitur, ideoque tempus cretionis, generatim aditionis, per fictionem retrotrahitur ad tempus mortis, *leg. 54. eod. arg. l. 24. de novat.* Utraque fictio, & hæc, & *§. anteced.* commemorata, quodammodo inter se pugnare videntur, quod ignoscendum Romanis, in fingendo interdum evagantibus. Voluntatis significatio, sive tacita sive expressa, per leges suppletur in heredibus suis, quasi statim post mortem parentis facta esset, quod stilo civili exprimitur: *hereditas heredibus suis morte parentis ipso jure acquiritur*, *§. 3. I. de her. quæ ab int.*

III. Si forte plures, qua diximus ratione, occupare cœperint res morte domini derelictas, id agant, ut universitatem istam communi jure sibi acquirant: ne invidiæ & contentionum herbæ nascantur. Illustris illa controversia apud *Plutarch. quæst. Græc.* 29. de Acantho deserta, eoque nullius facta, quam Chalcidensium legatus primum introiit, Andriorum legatus prior jaculo petiit, optime ita definitur, ut utrique, Andrii & Chalcidenses, societatem dominii seu *condominium* Acanthi acquisivisse videantur. *Grotio* ea in re dissentienti fecit satis Cel. *Schwarzius specim. 4. Controvers. Jur. Nat. & Gent. ex Hist. Græc.* Jus alterutrius, quum duo vel plures

 occu-

occuparunt, prævalere nequit; ergo iſtam univerſitatem rerum, niſi communio præoptetur, æqualiter partiri ſuadet naturalis ratio. *Theo Smyrnæus l.* VIII. *Par. Hom.* 298. 299.

...... Πόνον δὲ οἱ ἔργα τε πάντα
Χηρωσαὶ μετόπισθεν ἀποφθιμένοις δάσαντο.

Ex iſto fonte in jus civile Romanum profluxit famoſa illa *æquitatis præſumtio*, qua *ex æquis partibus heredes ſunt, nullis partibus nominatis*, *§. 6. I. de her. inſt. l. 9. §. 12. l. 35. pr. & §. 1. eod.* Cæterum diviſionis modus commendari poteſt ex *Homer. Odyſſ.* ξ 5. 6.

...... τοὶ δὲ ζωὴν ἐδάσαντο,
Παῖδες ὑπέρθυμοι, καὶ ἐπὶ κλήρους ἐβάλοντο.

IV. Res, extincto domino, nullius factas ſibi habendi animum quicunque primus ſignificare poteſt, is earum dominium acquirere cœpit in ſtatu naturali, familiarum videlicet ſegregum, extra imperium civile. Ad patrem familias moribundum occulto quodam & vehementi, ut conſtat, naturæ inſtinctu, omnium domeſticorum maxime trahuntur, qui ſanguinem ab eo traxerunt, ſine diſcrimine ſexus, parenti pietatis officium ultimum præſtituri. *Sen. lib.* III. *de Ben. c.* 18. Ergo & ii copias & fortunas patrisfamilias ſimul ac fato ejus derelictæ ſunt, ſibi, qua diximus ratione, præoccupare, cæteroſque domeſticos excludere

dere possunt. Quo hujus juris imago exhiberetur in statu civili Romano, liberis inculcatum est, ut ad patrem moriturum festinarent, ultimum vale dicerent, spiritum ejus ultimum exciperent, *Cic. Ver.*x., leto denique suffectos parentis oculos tempestive, quod *lege Mevia pietatis* cautum, *suggillarent*, quasi *sigillarent*, h. e. clauderent. *Martial. lib.* x. *ep.*63.

Quinq; dedit pueros, totidem mihi Juno puellas,
Clauserunt omnes lumina nostra manu.

Val. Max. lib. II. *c.* I. *R. M. Filiarum manus ad supremum opprimendorum oculorum officium advocavit.* Naturalem rationem istius pietatis officii lepide tradidit *Lud. de la Cerda ad Virg. Æn.* VIIII. 487. *Mors claudit oculos morientibus; si quando contingat, perfecte id non fieri, succedit vivorum opera; tamquam ars curandi defuncti corrigat naturam.* Quapropter morem istum, non Romanis proprium, ut putavit *Gyraldus*, sed gentibus communem vindicatum ivit laudatus *de la Cerda.* Quo pertinet illud *Euripidis in Hec.* Πολύδωρος ξῆ, καὶ θανῦσης ὄμμα συγκλείσει τὸ σόν.

V. Quid? proximis necessitudinibus suis, ab ipsa natura, ut iis bene cupiat, commendatis, offerre occasionem præoccupandi res morte sua derelinquendas, atque ita feliciores reddere, tanto magis respondet naturali parentis moribundi officio remunerandæ fidei testandique affectus, quo majori mortalitatis solatio ipse affici-

ficitur, simulac officium istud a se adimpletum, votoque suo se ita potitum sentiat. Atque hæc providentia patrisfamilias, ultimum trahentis spiritum, apud Romanos concinne dicitur: *dulci officio fungi*, *l.* 1. *C. de his, qui sibi adscr. in test.* & *ex officio pietatis agere*, *leg.* 2. *de inoff. test.* *Ulpianus*, *l.* 9. *pro soc.* *Hereditates non sine caussa obveniunt, sed ob meritum aliquod accedunt*. Eleganter quoque *Papinianus*, *l.* 7. §. 7. *si tab. test. null. ext. und. lib. Ad bona admittit liberos simul & parentium commune votum*. Quî fiebat, ut superstites habere liberos ardentissime precarentur atque immolarent parentes, teste *Cic. lib. de N. D.* propterea *superstitiosi*, proprio sensu, dicti.

VI. E contrario, si cui male morigero ac degeneri ex liberis suis paterfamilias facultatem aliquando occupandi velit præcisam, nihil tam naturale est, quam ut eum, veluti genere & familia indignum, inde ejiciat, vi summi Imperii domestici. Simulacrum ejusmodi expulsus filiorum nullius frugis e familia in statu civili Græcorum non minus quam Romanorum est frequentissima illa *abdicationis* solennitas. *Quinctilian. passim*. *Val. Max. V.* 8. 3. & 4. Scilicet paterfamilias, quacunque de caussa, arbitrio ejus relicta; filium, vestibus spoliatum & egenum, e conspectu suo familiaque abire jubebat, ac solenni formula: *discede de domo mea*. Inde eveniebat, ut hereditatis defuncti patris nunquam particeps fieret; ac propterea

abdi-

abdicatio a *Quinctiliano Declam.* VIIII. *c.* 2. *ultimum fulmen*, puto, haud incongrue dicitur. Postea non amplius necessarius videbatur *abdicationis* ritus, quum vis ac potestas ejus jam inesse existimaretur formulæ illi exheredationis: *filius meus exheres esto*. Ex eodem principio sequitur, ut filii rite exheredati non accurate pro *mortuis* habeantur, *l.* 1. *§.* 5. *de conjung. cum emanc. lib. ci.* Potius fictio ita comparata esse deberet, ut pro *absentibus & in familia non amplius exstantibus* haberentur: nam expulsu e familia non mors sed absentia efficitur.

VII. Patrisfamilias appellatione, deficientibus utriusque sexus liberis primo agnationis gradu, avus, & proavus, & deinceps superiores significantur, id quod stilo civili non minus quam sacro conforme, *legg.* 51. 201. 220. *D. de V.S. Cap.* 2. *X. de V.S.* Patrifamilias vero sanguine proximis pariter adnumero uxorem, quippe cui consanguinitas insititia est, seu per nuptias effecta, stilo *Ulpiani ap. Collatorem Leg. Mosaic. & Roman. tit.* XVI. *§.* 6. *consanguineos facit in manu conventio*. Quoniam cum parente unitas sanguinis & carnis, si stilo civili rem exprimere mavis, *unitas personæ*, *l. ult. c. de impub. & al. substit.* intercedit & uxori & filio, ac proinde neutri jus sanguinis propius fortiusque sit: iccirco paterfamilias utrumque æquali amore prosequi debet, nec alterutri melius cupere. Consanguinitas ista caussa per-

opetua est amoris. Ergo neutiquam mihi obstant, quæ *Grotio Lib.* II. *de J. B & P. c.* 7. *§.* 3. opposuit *Cornel. Van Bynckershoeck Lib.* II. *de Obs. Jur. Rom. c.* 1. *p.* 108. *si*, inquiens, *ut par est leges attendamus, quæ in caussa intestati hereditates deferunt, tunc enim sententiam Grotii, originem successionis ab intestato ex præsumta patris voluntate demonstraturi, vel sola uxor a successione exclusa refutabit, in hanc quippe, quam in quemcumque alium cognatum, majorem esse impetum, Moses verissime dixit*. Invertamus, quæso. Accidit sæpe, ut, turpi macie malas uxoris occupante, & fronte ejus flaccescente languere incipiat mariti erga eam affectus, aut quælibet alia deformitas uxoris sit fomes odii maritalis. Nota est ex *Juvenale sat* VI. 147. 148. blandissima illa mariti salutatio:

——— exi
ocyus, & propera —

Nonne, restinctis igniculis illis, amorem mariti erga conjugem restingui, fas est? Immo vero perpetua est, quam diximus, amoris caussa. Agnoverunt hæc Romani. Quapropter uxor, ubi vel confarreatione, vel coemtione, vel usucapione, in manum mariti convenerat, ejus filiæ loco habebatur, eoque heres sua fiebat. *Gell. lib.* XVIII. *N. A. c.* 6. *Caj. ap. Auct. Collat. Leg. Mosaic. & Rom. tit.* XVI. *§.* 2. *Ulp. Fragm. tit.* XXII. *§.* 14. Agnovit & Prætor, uxorem ad succesionem mariti vocans ex Edi-

Edicto *unde Vir & Uxor*: quamvis nulla ceteroquin sit affinium successio, *l. 7. C. commun. de success.* Uxor autem a JCtis populariter modo dicitur affinis mariti, *l. 8. de condit. causs. dat. Causs. non sec. l. 38. §. 1. de usur.* quo in primis pertinere videtur fragmentum istud *Jul. Paulli l.* v. *Rec. sent. tit.* 12. *§.* 2. de sola adfinium nomine ab intestato successione intelligendum, quæ jure honorario inter virum & uxorem contigit, atque sic a prædatione *Cujacii & Rittershusii* salvandum. *Ei etiam, velut indigno, aufertur hereditas, qui affinem vel cognatum, cui ipse ab intestato successurus erat, testamentum facere prohibuit*; verba sunt *sententiæ Paulli*.

VIII. Una cum iis, qui patrifamilias decessuro proximi sunt sanguine facultatem occupandi quoque nanciscuntur amici ejus, qui suspiriis amici morientis vocati, ac propriis amicitiæ stimulis acti, ultimum ejus excepere spiritum. Hunc affectum, quem ingeniis amicorum natura indidit, eleganter adumbravit *Tibullus lib.* 1. *El.* 1. *v.* 73. *seq.*

Te spectem suprema mihi quum venerit hora,
Te teneam moriens deficiente manu.

Quo factum est, ut apud Romanos amici, postulantes, ut in bonum prospiciat familiaribus suis amicus, ideoque hereditatem ejus defuncti jure optimo maximo sibi deberi existimantes, *querelam inofficiosi* coram centumvirali ju-

dicio inſtituere cœperint. *Val.Max. lib.* VII. *c.* 8. *§*. 1. 6.7. 8. Centumviri judicia maxime fecerunt de iis controverſiis, quarum deciſioni eſt æquitas & ratio naturalis. *Sigon. de Judic. l.* 1. *c.* 22. Hinc iſta *inofficioſi querela*, ceu ex eodem fonte orta, coram centumviris agitari ſolebat.

VIIII. Domino moribundo, eidemque invito, ſi aliquando, occupandi gratia, ſe appropinquare vellent extranei, qui neque propinquitatis nec amicitiæ vinculo ei conjuncti ſunt, alienarum poſſeſsionum turbatores forent, & ideo injuſte acturi eſſent.

X. Ecce tibi originem & nexum juris, quo bona domini defuncti ad neceſſarios familiareſque ejus devolvuntur, extra Imperii civilis ſtatum. Immerens igitur vapulat *Merillio l.* 1I. *Obſ. c.* 25. *Theophilus*, quod rei teſtamentariæ originem ex jure gentium derivaverit, *§*. 1. *I. de I. N. G. & C.* formulam vero teſtamentorum juris civilis eſſe, *Theophilum* latere non potuit. Alterum ab altero diſtinguere debuiſſet *Merillius*. Repræſentavimus inſuper iſtius juris imaginem in ſtatu civili Romano, idquod *ſucceſſio ex cauſſa inteſtati*, ac *teſtati* partim, appellari ſolet. Quemadmodum vero jus *civile non per omnia ſervit naturali vel gentium, verum aliquid addi vel detrahi debeat*, *Ulp. l* 6. *pr. de J. & J.* ita & illi ipſi juri noſtro inſigne hoc acceſsit auctarium, ut ſucceſsio fieri debeat in jus paucis tantum exceptis, *l.* 38. *de*

R. J.

R. J. l. 23. §. 8. *ad L. A.* universum, quod competeret defuncto, & in defunctum, tempore mortis, *l.* 24. *de V. S. l.* 62. *de R. J.* Atque hoc additamentum postulabat ipsa ratio ordinatæ civitatis, scilicet amplificatio commercii familiarum: alter enim cum altero pacisci detrectaret, si obligatio ab uno alterove suscepta, morte ejus simpliciter tolleretur. Porro, ne executione istius juris, quo amici etiam participes fiunt familiæ defuncti amici, orirentur in civitate contentiones ac turbæ, & ita reipublicæ tranquillitas turbaretur, in quos bona sua post mortem translata vellet amicos, testari indulgebatur domino. Testationi isti seu testamento, synonyma enim sunt hæc verba, post mortem domini ea inesse fingebatur vis, quasi ad dominum morientem vocati amici familiam defuncti occupassent. Si universum jus unius defuncti domini, uno eodemque titulo pro herede, tam in necessarios ejus, quam familiares devolvi potuisset, id ampliatio legis intestatorum fuisset, h. e. novum caput tantummodo accessisset de successione amicorum, quam ex eodem fonte profectam diximus, unde propinquorum successio orta. Sed Romanis hæc non placuere: quia *testato & intestato in paganis*, scilicet bonis, *decedere, naturaliter inter se pugnet, nec jus civile id patiatur*, ex doctrina *Pomponii*, *l.* 7. *de R. J.* Nihil rationis, vel naturalis vel civilis, video. Mentem JCti minus quidem assequi videntur, qui pro parte testatum,

ſtatum, pro parte inteſtatum quem decedere poſſe ſtatuunt heredis facto & judicii eventu, nimirum diverſis ſententiis latis, quarum altera laudat, altera reſcindit elogium, v. g. tamquam inoffícioſum. *Papinianus* l. 15. §. 2. *de inoffic. teſt. Filius, qui inofficioſi actione adverſus duos heredes expertus, diverſas ſententias judicum tulit. & unum vicit, ab altero ſuperatus eſt, & debitores convenire, & a creditoribus conveniri pro parte poteſt.* Et paullo poſt: *Ideo pars hereditatis in teſtamento remanſit: Nec ab ſurdum videtur, pro parte inteſtatum videri. Ulp. l. 24. eod. Circa inofficioſi querelam evenire plerumque adſolet, ut in una atque eadem cauſſa diverſæ ſententiæ proferantur: quid enim, ſi fratre agente, heredes ſcripti diverſi juris fuerunt? quod ſi fuerit pro parte inteſtatus deceſſiſſe videtur.* Ita quidem petere ſolent excitatam *Pomponii* regulam juris. At enimvero teſtatoris voluntas, dum legitima eſt, pro individua cenſeri poteſt. Pro ea parte, qua in leges offendit, digna eſt, ut eluſoria fiat. Atque ita capienda ſunt verba *Papiniani* & *Ulpiani* modo allata, itemque *l. 19. D. & l. 13. C. de inoff teſt. Pomponius* vero *l. 7. de R. J.* de teſtatore tantum diſquirit, an proprio facto ſuo teſtatus & inteſtatus decedere poſsit. Id ex ratione naturali & civili inficiatur. Si unus vel plures unius ejuſdemque pecuniæ ex inteſtati teſtatique cauſſa diſsimili ſimul heredes forent, naturalis omnino obſtaret ratio.

ratio. Aliud vero eſt, pro parte bonorum inteſtatum, pro alia parte teſtatum deceſsiſſe. Quin obſtat ratio naturalis, ſi miles, actu & exercitio talis, in bonis caſtrenſibus teſtatus & inteſtatus una deceſserit? Nec repugnat ratio civilis, nempe teſtatoris præſumta voluntas, quum teſtatum pro parte bonorum, pro parte inteſtatum ſe decedere velle ſignificavit. Quamobrem vero teſtatio iſta particularis, ut ita dicam, prohibeatur, vix aliquid rationis civilis ſuppetet. Quid? quod loco pœnæ pro parte teſtabiles, pro parte inteſtabiles erant, qui *voluntate ſua ſtuprum flagitiumque impurum paſſi*; teſte *Paullo ap. Auct. Collation. Leg. Moſaic. & Roman. tit.* v. §. 2. quemadmodum ſervis publicis P. R. pro beneficio datum, ut pro parte teſtamentum facere poſſent, quod ex *Varrone* & *Ulpiano* evicit *Petr. Pithœus ad loc. cit. Collat. Leg. Moſ. & Rom.* in *Ant. Schultingii admirabili opere Juriſprudentiæ Antejuſtinianeæ, p. 752.*

SECTIO I.

Ratio & primordia rei teſtamentariæ Romanæ.

I. IN legum interpretatione uti earum ferendarum occaſio, ratio, & uſus in primis attendi debent, ita in illuſtrando jure teſtamentario Romano eadem via proficiſcendum duxi. *Proluſione* primum expedivi. Jam vero rationi &

inde eruendis originibus rei teſtamentariæ Romanæ propius accedo. In rationibus & utilitatibus reipublicæ ſuæ nil magis habuerunt Romani, quam incrementum, commodum & concentum ſocietatum ſimpliciorum, generatim familiarum, quibus civitas & imperium firmiſſime fundatur. *Maxima enim civitas Romana minimæ domus diligentia contineri debebat; Flor. lib. 1. c. 6 Quid profuiſſet, foris eſſe ſtrenuum, ſi domi male viveretur? Val. Max. lib.* II *c. 9.* Quapropter ad arduum illum ac fere ſupremum, quem diximus, reipublicæ finem juvandum & adipiſcendum, ipſi reipublicæ formula ſua danda erat. Argumento eſſe poteſt morum diſciplinæque regimen cum cenſura conjunctum. Scilicet quaſi communes familiarum patres erant Cenſores. Rationis ac judicii cenſorii fundamentum erat conditio rei familiaris, quam accurate perſpectam habere Cenſores oportebat. Porro, leges condi ſolebant ad juvandas ſocietatum minorum ac domus cujuslibet utilitates; id quod ex rebus, a Romulo geſtis, a Plutarcho conſignatis, vel maxime apparere poteſt. Romani, Romuli veſtigiis in legibus concipiendis poſtea perpetuo inſiſtentes, ampliſſimum campum differendi *de habitu legum ad ſocietates ſimpliciores* aperire potuiſſent *Ill. Præſidi, Monteſquiou*, in opere de *Rationibus Legum* (*del'Eſprit des Loix*) Inſigne ſpecimen, quod ad ſocietatem conjugalem, verbis *Ulpiani* exhibebo. *Conſtante matrimonio, ab eo, qui extra*

extra maritum ad accusationem admittitur, accusari mulier adulterii non potest: probatam enim a marito uxorem, & quiescens matrimonium non debet alius turbare atque inquietare, nisi prius maritum lenocinii accusaverit, l. 26. pr. ad leg. Jul. de adult. evert. Si patiatur maritus uxorem delinquere non ob quæstum, sed negligentiam, vel culpam, vel quandam patientiam, vel nimiam credulitatem, extra legem positus videtur, l. 29 §. 4. eod Nec minus societatis paternæ ratio habebatur, jure excludendi liberos a copiis & fortunis paternis patribusfamiliarum concesso. Scilicet antiquissimi Romæ incolæ colluvies hominum erat ex variis gentibus, dissitisque regionibus, v. g. Gallia, Germania, ut ostendit *Ol. Borrichius de Originib. Ling. Lat.* Quemque eorum ad patriam disciplinam legemque regi oportere, Romulus e republica censebat. Hinc patribus, quippe patriarum consuetudinum legumque intelligentioribus, regimen domesticum exercendum concessit, *Dionys. Hal* II. *p.* 96. idque paullo durius, immo pene tyrannicum, quia maximam partem cum hominibus nequam agebatur. Patriæ huic majestati, ut eleganter *Val. Max.* VII. 7. 5. dicitur, tamquam firmissima basis, substernebatur potestas excludendi liberos bonis paternis avitisque in perpetuum. Quippe juvenilis ferocitatis coercendo, & filiorum tenendo in perpetuo obsequio nil magis esse poterat, quam in extrema paupertate relinquerentur.

tur. Atque ita liberos parentibus admodum devinciri posse, Epitadeus, Ephorus Spartanus, probe agnoverat. Quapropter rhetram, in rempublicam Laconicam, post captas a Lysandro Athenas, ut conjicit *Ubb. Emmius Descript. Reip. Lacon. tom.* IV. *Thes. Ant. Græc. p.* 482. *seq.* exemplo Romanæ, inductam, tulit hujus sententiæ, commemorante *Plutarcho in vit. Agid. licere cuivis res suas agrique sortem, quod ante per leges Lycurgi non licuerat, vel donare alteri, dum viveret, vel testamento relinquere cuicunque vellet*. Invehitur in Ephorum laudatum *Plutarchus*, quasi iræ privatæ in filium indulsisset, & optimum ordinem, in republica a Lycurgo institutum, rhetra sua turbasset, enormem possessionum inæqualitatem effecisset, multaque ejus generis alia. Disciplinæ domesticæ rationem ab Epitadeo optime habitam fuisse, non animadvertit *Plutarchus*, qui in politicis interdum justo minus sapuit, quod scriptis ejus passim proditur.

II. Quo aptior vero erat commemorata rei testamentariæ ratio ad novellum Imperium civile Romanum magis magisque fulciendum, eo majus fuit vitæ discrimen, in quod testator heredem extraneum nominando, atque *suum* excludendo, poni videbatur. SCti Macedoniani ratio testis est, filios, contracto mutuo, eo usque interdum progressos insaniæ, ut, hereditatem paternam acquirendi gratia, parentes interimere conarentur: de extraneis quid multo

to magis expectandum, quorſum ſpe lucri rapi poſſint, augurari potuiſſent Romani. In reipublicæ forma ordinanda, & legibus condendis curioſiſſime id agendum, ut quævis male agendi occaſio caveatur ac præcidatur, quælibet media eo tendentia impediantur ac removeantur. At eſto, antiquiſſimos Romanos prævidiſſe pernicioſum iſtum teſtationis effectum, quem poſteri argumentis & uſu rerum demum addidiciſſe videntur, ut *Sect.* III. *§.* 2. ad teſtamentum per æs & libram notabimus, nihilominus ratio inſtituendæ rei teſtamentariæ, *§. anteced.* expoſita prævaluit.

III. Itaque Rep. Romana, in primis imperio patrum domeſtico ſub auſpiciis Romuli aliquantulum ordinato, de inducendo ſtabiliendoque jure teſtamentario, veluti firmamento majeſtatis domeſticæ, cogitabatur: ut ideo ex cauſſa teſtati ſucceſſio jam inde a principio Romani nominis comparata videatur. Interim tamen novæ difficultates egerminabant, nempe filii familias ipſo jure erant hæredes, vel ſtilo *Caji l.* II. *de lib. & poſth. vivo patre quodammodo domini*, ſcilicet ſpe, per continuationem dominii futuram, exiſtimabantur. Nam *dominum* pro *herede* dici, exemplorum nube ex Jure Rom., Auctoribuſque antiquis evicit *Guil. Fornerius L.* I. *Selection. c.* 19. Certe liberorum συνδεσποτείαν, actu & exercitio talem, pater familias, dum in vivis eſt, nunquam agnoſcet. Ergo commemorata lex impoſuiſſe

videtur

videtur *Cornelio van Bynckershoeck l.* 1. *Obs. Jur. Rom. c.*1. successionis ex intestato naturam demonstraturo. Hæc ex caussa intestati successio neutiquam primum stabilita est lege ista decemvirali :*si intestato moritur, cui nec suus heres exstabit, agnatus proximus familiam habeto ;* ex *Ulp. fragm. tit.*26. *§.* 1. & *l.* 9. *§.* 2 *de lib. & posth.* Obiter heic tantum fieri mentionem heredum suorum, eosque jam longe antea ipso jure heredes fuisse, probe notavit V. Cl. *Ant. Schultingius Jurisprud. Antejustin. pag.* 665. adversus *Galvanum de Usufr. c.*8. *n.*13. *& seq.* allegatam legem ex Attica demum Solonis in Latium migrasse contendentem. Exheredandis igitur liberis privata voluntas minime sufficiebat: nam *ea, quæ lege fieri probibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur*; verba sunt *l.*5.*C.de legib.* Quodcunque ergo liberis jure publico debebatur, jure quoque publico, necesse erat, iis adimeretur, *l.* 35. *de R. J. junct. l.* 3. *qui test. fac. pos.* Quod vero legum auctoritas detrimenti quid facile capere potuisset; iccirco successionem ex caussa testati nova lege fundari, atque ita legem intestatorum, an dicam, consuetudinem illam de successione filiorum, vim legis adeptam, initio statim infringi noluerunt Romani. Consultius videbatur, patremfamilias testaturum in comitiis curiatis lege intestatorum tantummodo solvi:neque vero de ea plane tollenda abrogandaque unquam cogitarunt

runt Romani, quod quidem ſibi perſuaſit *Heineccius El. Jur. Civ. rec. ord. Inſt. 9.* 486. Quum legi vis & effectus, obveniente caſu, ab ejus auctore detrahitur aliquantiſper, lex nondum dici poteſt ſublata, verum pauliſper quaſi ſilet. Silentium iſtud legi inteſtatorum a populo in comitiis congregato imponi ſolebat. Quo factum eſt, ut hoc fere modo teſtamenta tempore pacis in comitiis condi cœperint. Scilicet præmiſſa ſolemni rogationis formula, & inquiſitione in perſonam ejus, qui teſtari vellet, pro more in arrogatione conſueto, habita, populus conſentiebat, & veniam ad teſtandum dabat, paterfamilias divitias ſuas ſignificabat, teſtationem, teſte populo, edebat, ſeu heredem dicebat, in tabulas referebat, populus ſolemni ritu rem ratam habebat, denique tabulæ in templis apud Sacerdotes, æedituos, vel Veſtales, aliiſve tutioribus locis, quo ſecuritati tabularum conſuleretur, deponi conſueverant; id quod & poſtea Romæ obtinuit, *l.* 4, *§. ult. fam. herciſc. l.* 3. *§.* 3. *de tab. exb.*

SECTIO II.

Incrementum rei teſtamentariæ Romanæ.

I. PRæparata ſub imperio regio lex teſtamentaria, ideoque Athenis haud arceſſita, in XII. Tab. tandem comparuit: *paterfamilias uti legaſſit ſuper pecunia tutelaque ſua, ita jus eſto; Auct. ad Heren. lib.* 1. *c.* 13.

 Cic.

Cic. de Invent. l. II *c.* 50. Ecce liberrima & illimitata patrumfamilias legandi hoc est statuendi de rebus suis, iisdemque liberos spoliandi potestas ; Adeone lex ista durior omnino est, quam ut ob *summam æquitatem*, cum cæteris decemviralibus, auctore *Tacito* commendari, efferri, *ob sapientiam omnibus Philosophorum Bibliothecis*, quod Crassus apud *Cic.* fecit, anteponi mereatur ? Salva res est. Potestati parentum instinctu eorum in liberos naturali jam positi censebantur limites. Quicquid natura coercuerat, id alia ratione arctius constringi superfluum videbatur. Quicquid invitante natura, aut repugnante fieri solet, ad id quam maxime respiciebant Romani in legibus condendis, generibus pœnarum eligendis & constituendis. Amplissimum illud argumentum de *habitu legum ad* πρῶτα κατὰ φύσιν ab *Ill. Montesquierio in Op. l' Esprit des Loix* inscripto, miror, silentio esse prætermissum. Adeo verecundiæ patrum, ut diximus, relinquebatur indefiniti juris *legandi* exercitium. Quo adversus liberos frugi, quum postea, præter spem & expectationem, abuti cœpissent patres, humanitatis parum memores, atque liberi, pecunia inofficiosi parentis injuste spoliati, coram Centumviris plorarent quererenturque, fieri non poterat, quin parentum insigne jus paullatim minueretur Jurisprudentia media, ut *Theophilus* §. *media, de Intest. her.* inquit, ac tandem constitutis a *Justiniano* *Nov.* 115. *c.* 3. certis

tis exheredationis cauſſis, definiretur magis magiſque circumſcriberetur. Ex quo apparet, ſacratiſſimum Imperatorem, quamquam in jus antiquum non adeo penetraſſet, intellexiſſe tamen ſanctionis decemviralis rationem.

II. Prima legis noſtræ Decemviralis voce ſubnixi ſunt *Digeſtorum* & *Codicis* tituli, *qui teſt. fac. poſſ.* Ergo aqua & igni interdicti, tamquam *ad peregrinitatem redacti*, quemadmodum dicuntur *l.* 10. *§.* 6. *de in jus voc.* ac proinde patrumfamilias Romanorum jure privati, teſtamenta, jure Romano, condere non potuerunt. Sed quomodo factum, ut eos a Tiberio demum teſtari prohibitos *Dio Caſſius lib.* LVII. *p* 618. commemoret? Quum teſtamenta ſua ſecundum regulas juris Romani ordinare non poſſent, teſtari ſolebant ſecundum jus civitatis, in quam ſe converterant: & hoc jure interdicti videntur a Tiberio: quamvis exemplum ſingulare teſtamenti, lege civitatis ſuæ a peregrino ſub eodem Tiberio valide celebrati, deprehendatur in *Tacito l.* IIII. *Annalium* 43. Graviorum criminum reos propria quaſi ſecuri ſibi præcidiſſe libertatis, civitatis, & familiæ jura pluribus oſtendi libro ſingulari de *Servitute pœnæ Paulli Apoſtoli, V. ſeq.* cui inſignis ille *Ciceronis pro dom.* 39. addi meretur locus: *hoc juris erat a majoribus proditum, ut nemo Civis Romanus aut libertatem, aut civitatem poſſet amittere, niſi ipſe auctor eſſet*. Quum itaque proprio facto ſuo aliquis deſineret eſſe pater-

familias Romanus ; naturale consequens erat ; ut testamenti factionem una amitteret: hinc parum accurate dicitur ad *l.* 8. *§. ult. qui test. fac. poss.* quod capitis damnatis *in pœnam* non sit permissum facere testamentum. Porro prima legis laudatæ decemviralis voce intestabiles fiebant *uxores matres familiarum*, hoc est *quæ in manum & familiam viri convenerant*, ut interpretatur *Cicero in Top. c.* 3. ideoque majestatem maritorum domesticam, filiarum instar, colere tenebantur: ergo majestatis domesticæ ejusque jurium ipsæ participes esse non poterant. Tametsi hac ratione maritis haud subjectæ erant *uxores matronæ*, hoc est *quæ non in manum mancipiumque viri, sed in matrimonium dumtaxat convenerant*, *Cicero cit. loc. Gellius lib.* XVIII. *c.* 6. imperii tamen domestici haud capaces erant, ac proinde testamenta, auctoritate tutorum quamvis interposita, eas condere potuisse initio & ante introductum testamentum per æs & libram, dum Romani suorum adhuc tenacissimi essent principiorum, minus verosimile videtur.

III. Lex nostra Decemviralis ut universi juris testamentarii, ita & errorum fons fuit. *Quicquid legassit Paterfamilias, id heredi jus*, hoc est *lex esto*, ex interpretum antiquorum non minus quam recentiorum opinione. Quid vero? Quum heres, qui nullo propinquitatis gradu cum testatore conjunctus, ideoque juri ejus non subjectus est, quem *Cajus*, vel dicam,

Ania-

Anianus l. 1. *Inst. t.* 3. *§.* 6. minus accurate *extraneum heredem* nominat, arbitrio suo hereditatem acquirere vel repudiare, *§.* 5. *Inst. de Her. qual. & diff.* ac proinde *legi* testatoris se sua sponte submittere, eamve spernere potest, testamentum istud, quamvis legitimum, pro *lege* ipsa, eaque sensu proprio & vulgari accepta, temere profecto habetur. Nisi forte quispiam existimet, testamentum legis instar demum esse heredi, hereditatem adeunti, vel pro herede gerenti. Repugnat analogia juris. Per hereditatis aditionem, ex ratione civili, speciatim commerciorum, quam supra attigimus, testator defunctus & heres *pro una persona* habentur, *Nov.* 48. *pr.* id quod ex obligatione heredis præstandi legatario rem suam propriam a testatore legatam, apparere potest, *§.*4. *Inst. de Legat.* Testamenta demum a morte testatoris vim suam nancisci, confecti juris est, ergo eo tempore, quo testator defunctus & heres unam personam repræsentant. Sequeretur inde, ut heres ex lege sibi ipsi facta obligari deberet. Nemo autem legem sibi ipse dicere potest, *a qua non liceret discedere, l.* 6. *§.*2. *de Jur. Cod.* Quum lex, ne quidem sanctione pœnali arbitraria munita, & recte quidem dicitur *imperfecta*, qualis est *l.* 14. *§.* 14. *de Relig. & sumt. fun.* Multo inefficacior erit legis istius virtus, proinde multo indignior erit legis nomine lex ista, quam quis sibi ipse fecit, quam impune contemnere, pro lubitu transgredi licet.

cet. De testamento actum foret, si sola testatoris *verba imperativa*, *seu directa*, ut apud *Scholiastem Horatii ad lib*.II. *sat* I. *v*. 9. dicuntur, heredi essent terriculamento. Immo vero, præstandi ea, quæ paterfamilias, ex gratia legis nostræ XII. Tab. legavit, heres obstringitur famosa illa ratione naturali ac civili: *qui sentit commoda*, *sentiat quoque*, *necesse est incommoda*, *cum eodem negotio legitimo connexa*. Obnoxius fuisset heres, quamvis verba imperativa non accessissent, quibus Romani tantum ostentare, & post mortem superbiæ vestigia relinquere voluerunt. Salva profecto mansit illa ipsa heredis obligatio, amota per Constantinum *verborum civilium* in testamentis ordinandis necessitate *l*. I. *Cod*. *Theod*. *de test*. & *codic*. *l*. 15. *C*. *de test*. Cum fidei commissis vero res aliter comparata erat, quippe quæ in fraudem legum inventa, ante *Trebatii* tempora vi auxilioque legum carebant. Ergo ab heredis fiduciarii religione, pudore, fide, amicitia mere dependebat, an ea exequi vellet, quæ fidei committens *mandaverat*, quod verbum rogandi est, proinde verbis precativis fieri debebat. *Sen*. *de tranquil*. *an*. *c*. II. *Religiosus homo* & *sanctus tueri debet fideicommissa*. Adeo ratione heredum extraneorum, juri testatoris minus subjectorum, vix legis indolem habere possunt testamenta & legata. Potius τὸ *jus esto* improprie sumitur in lege Decemvirali, & nihil aliud quam *firmissimum stabileque* significat. Ita

hæc

hæc legis verba intellexisse, & ante oculos habuisse videtur *Cicero*, hæc verba concipiens: *in publicis nihil lege gravius; in privatis firmissimum est testamentum*; *Philippic. Or.* II. *c.* 42.

IIII. *Latis* XII. *Tabular. legibus*, inquit, V. Cl. *Heineccius Syntagm. Ant. Rom. jurisprud. illustrantium, lib.* II. *tit.* 10. *§.* 5. *testamenta in comitiis calatis facta exolevisse videntur. Quum cives jam suo arbitrio possent de bonis disponere: quis, quæso, adeo desipuisset, ut mallet in comitiis calatis, auctore populo collegioque pontificum, testari?* Minime gentium. Collato in patresfamiliarum per legem Decemviralem testandi jure, consensu populi veniæque impetratione ad testandum non amplius opus erat: reliqua vero solemnia testandi in comitiis neutiquam cessarunt, immo stricte observari debebant usque ad aliam formam testamenti civilem, quæ interveniente ære & libra fiebat, inductam. Hoc enim testamenti genus surrogatum erat in locum testationis in comitiis, quemadmodum deinceps ostendam. Paullo infrequentior fieri cæpit in comitiis testatio post tempora stabiliti per æs, & libram testamenti: nihilo tamen secius aliqui in comitiis testati sunt, antequam penitus ad interitum vergeret respublica libera, occasionem ita arripientes, de jure Quiritium ac dominio rerum quiritario publice gloriandi; id quod pabulum erat genio Romanorum. Jus testamentorum descendebat ex jure Quiritium. Quapropter Romani accurate

compellabantur Quirites in solemni rogationis formula, quæ, exemplo ab arrogatione deducto, ita concepta videtur: *velitis, jubeatis, Quirites, uti Lucius Valerius Lucio Titio tam jure legeque heres sibi siet, quam si ejus filius familias proximusve agnatus esset? hæc ita, ut dixi, ita vos, Quirites, rogo*; *arg. Gell. lib.* XV. *c.* 27. Differentiam tamen inter *jus Quiritium, ac civitatem Romanam* non usquequaque custoditam esse, vel hinc apparet, quod Romani, in negotiis juris publici, ad jus civitatis pertinentibus, formulis solemnibus, curiose alioqui & anxie conceptis, rogati salutentur *Quirites*, non *cives*; ut est apud *Cic. pro dom.* XVIII.

SECTIO III.

Ulteriores progressus rei Testamentariæ Romanæ.

I. QUamvis ea, quæ *Theophilus ad §. 1. Inst. de test. ord.* de populo testamenti factionis caussa bis dumtaxat per annum calato commemorat, verisimilia haud sint: testamentis tamen in comitiis condendis non semper locum fuisse, exploratiora sunt. Insignis hæc difficultas vix constare poterat cum favore testamentorum, qui jam inde ab initio Urbis apud Romanos obtinuit, id quod ex *anteced. Sectionib.* elucet. Scilicet magnæ molis negotium erat stabilimen rei testamentariæ, multis cum impedimentis & incommodis conjunctum,

ctum, quæ extemplo removere non voluerunt antiquissimi Romani, posteris ergo paullatim tollenda relinquebantur. Id omnium commodissime fieri posse iis visum est, si quoddam simulacrum testationis in comitiis fingeretur, & in ejus locum surrogaretur. Ad delineandam hanc imaginem requirebatur populi Romani in comitiis curiatis congregati repræsentatio, deinde res, qua dominium quiritarium tribueretur; nam qui familiam vel ex intestato, vel ex testamento in comitiis calatis facto, susceperat, dominium ex jure Quiritium in eum translatum censebatur; *Varro de R. R. lib.* II. *c.* 10. porro res, quæ inter cives dumtaxat Romanos locum habere posset, quum iis propria esset testamenti factio: tum accedere debebat solemnitas rogationis, & ejusdem generis alia, quæ in actu mancipationis seu nexi, generali sensu accepti, instituti illius mere Romani, deprehendere sibi visi sunt prudentes Romani. Scilicet mancipatio, ut constat, modus acquirendi juris Quiritium erat: *jus mancipio dandi & accipiendi solos inter cives Romanos locum habebat, Caj. ap. Boeth. lib.* III. *Commentarior. in Top. Cic. antequam Latinis Colonariis Latinisque Junianis communicatum; Ulp.* XIX. 3. Cives Romani, qui mancipationi interesse debebant, & classici testes vulgo vocantur, procuratores pop. Rom. proprie erant; ita enim dictos malim; auctoritate ad inquirendum hoc negotium instructi. Hos solemniter

lemniter rogare, fidemque eorum in actu mancipationis obtestari antestatum oportebat, *Meril. lib.*VIII *Obs.c.*37. *Brummer. ad Leg. Cinc. c.* 13. 14. His similibusque rationibus JCtos Romanos puto inductos, ut solemnibus testationis in comitiis per fictionem substituerent mancipationem seu imaginariam venditionem; hæc, inquam, loco duntaxat solemnitatum testamenti comitiis calatis erat; nihil transferebat in familiæ emtorem, ubi diversus esse cœpit ab herede; nihil plane commercii habebat cum ipsa testatione seu nuncupatione, quippe quæ separatus actus fuit. *In testamento enim, quod per æs & libram fit, duæ res aguntur, familiæ mancipatio, & nuncupatio testamenti*, inquit *Ulpianus* XVIIII. 9. Hinc liquere potest, quam male cohæreant ea, quæ pro ratione introducti per æs & libram testamenti commentus est Vir ceteroquin eximius *Heineccius lib.* II. *Synt. A.R. t* 10. *§.*16. *Quum ex principiis juris Romani*, inquit, *leges de successione intestatorum non nisi alia lege tolli possent, & tamen decemviri liberam cuivis patrifamilias testamenti factionem concessissent; inveniendus erat color, quo juris analogia servaretur. Itaque fingebant, hereditatem non tam per ultimam voluntatem, quam per venditionem & mancipationem transferri.*

II. A solemnibus mancipationis, jam ex *Caii fragm. ap. Boeth.* III. *Comm. Tullian. Top.* notissimis, non videntur diversi juris fuisse,

quæ

quæ ad teſtamentum per æs & libram, ante ejus nuncupationem, adhiberi conſueverant; præterquam quod anteſtatus perſona ſingularis non fuerit, qunm *Imp. ʃʃ.* 1. *Inſt. de teſt. ord.* & ipſe *Ulpianus* xx. 7. familiæ emtoris, teſtium, & libripendis tantum, de anteſtato nihil meminerunt. Ad hoc, ſi ſeparata perſona fuiſſet anteſtatus, non ſeptem ſed octo teſtes poſtea ad teſtamentum requiri debuiſſent. Itaque anteſtati vicem, quæ tam in rogatione teſtium conſiſtebat, quam aurium vellicatione, *Clem. Alex.* Στρωματ. *lib.*v. *p.* 574. unus ex iis, inter quos res agebatur, & quod veroſimile eſt, vel libripens, vel familiæ emtor ſuſtinuiſſe videtur. Familiam vero heres ipſe initio emere ſolebat, hac formula: *hujus ego familiam, quæ mihi hoc ære æneaque libra empta eſt jure Quiritium, meam eſſe aio.* At eveniebat ſæpe, ut heres. conditionem ſuam, vivo & ſpirante adhuc teſtatore, ita reſciſcens, metuenſque, ne teſtator forte flexibilem voluntatem mutaret, vitæ ejus inſidias ſtruere cœperit; id quod a genio veterum Romanorum non prorſus abhorrebat. Experientia ergo tunc demum edocebantur Romani, jus teſtamentarium, quamvis in notione Reip. in genere, & Romanæ in ſpecie, ut ſupra expoſuimus, alioquin ſatis fundatum, aliquantulum tamen internæ tranquillitati Reip. obeſſe. Cui malo ſubvenerunt efficaci aliquo remedio. Scilicet in locum ipſius heredis ſurrogabatur extraneus fami-

familiæ emtor. Et vero mutatio illa commodiſſime fieri poterat, quum imaginarius familiæ emtor, iſque alius ab herede, nihil plane acquireret: ergo familiam heredi, ſeorſim in tabulis ſcripto, poſt mortem teſtatoris cedere, quod quidem commentus eſt *Theophilus*, neceſſe non erat. Quippe ritus mancipationis; quibus ſolemnia tantum teſtationis in comitiis calatis repræſentabantur, ipſam naturam teſtamenti neutiquam afficiebant. Ea ſi perpendiſſet *Plutarchus*, abſurdum eſſe in libro *de ſer. num. vind.* non ſcripſiſſet, quod Romani alium relinquerent heredem, alii familiam venderent. Meliori jure, puto, vellicari poteſt, res etiam nec mancipi, quæ tamen particulæ ſunt familiæ, quas enumerat *Papinianus Reſponſ. tit.* 23. in mancipatum veniſſe, ſimulque ficte alienatas eſſe; quum tamen nihil ageretur, ſi quis mancipio dediſſet rem nec mancipi. Quapropter *Cic. in Top. Finge*, ait, *mancipio aliquem dediſſe id, quod mancipio dari non poteſt, num iccirco id ejus factum eſt, qui accepit? aut num is, qui mancipio dedit, ob eam rem ſe ulla re obligavit*.

III. Non minus, quam quinque teſtes, cives Romani, mancipationi intereſſe & præeſſe debebant, *Cai. loc. ſupr. cit. Paull. R. S. lib.* III. *t.* 4. *A. §.* 10. *l.* 21. *§.* 1. *qui teſt. fac. poſſ.* plures poterant, ſed quinque ordinarie adhiberi ſolebant. Ergo ad conſuetudinem magis quam ad jus poſtea reſpexit Prætor in definiendo

niendo teſtium, qui ſubſignarent, numero. Quamobrem, quinarium numerum elegerint Romani, indignum eſt, ut diſcutiatur. Res arbitrii fuit. Quidam ex Romanis quid iſti numero tribuerint, magno apparatu docuit *Jac. Tollius Fortuitor. part.* II. una cum illis ineptiens. Alii ad præferendum quinarium numerum Romanos exiſtimant commotos eſſe ſuperſtitione Pythagoreorum, qui neſcio quæ numero iſti ineſſe ſibi perſuaſerunt, eum propterea *ſemideum* appellantes, ceu *Meurſius de denar. Pythagor. p.96.* notavit. At longe antiquior Pythagora videtur mancipationis ſolemnitas, jam inde a primis Romæ initiis, quod maxime probabile, derivanda, & in XII. tab. veluti res nota, commemorata. Qui vero teſtes adhiberi nequeant, oſtendit *Ulp.* XX. 3. *ſeq.* Rationes apponit partim, partim per ſe claræ ſunt. Diſputare tamen ſolent, cur feminæ teſtimonii dictione prorſus arceantur. Quinque cives Romanos in mancipatione procuratores pop. Rom. fuiſſe diximus, qui auctoritatem & vim omnem iſti negotio impertiebantur: *feminam vero exiſtere procuratorem*, Romanis indignum viſum eſt, *l.2. de R. J.* præſertim quum teſtimonii perhibitio in teſtamento munus eſſet maxime civile & publicum; feminarum autem operæ tantummodo comparatæ olim cenſerentur ad *domeſticas operas*, *Columell. de R. R. l.* XII. *præf.* Ad hæc, negotiis & cauſſis alienis ſe immiſcere feminas

non

non patiebantur Romani, *arg. tit. Dig. de SCto Vellej.* id quod tam ſtricte apud eos obtinuit, ut ne Auguſtæ quidem priorum Imperatorum partem tractandæ reip. attingere poſſent, quo exemplo Liviæ Auguſtæ inprimis *Tacitus l.* XII. *&* XIII. *An.* docuit. Commendari heic meretur *Ill. a Bunau de bonoribus Auguſtarum* perelegans libellus. Cæterum, denegatam feminis comitiorum communionem, de qua teſtatur *Gellius lib.* V. *c.* 19. probabiliter quoque, opinor, duxerunt nonnulli in ratione feminis interdictæ teſtimonii dictionis in teſtamento: quandoquidem in locum teſtamenti comitiis calatis ſurrogatum erat per æs & libram teſtamentum.

IIII. Atque illo ipſo teſtamento pes æs & libram *Grotium lib.* II. *de J.B. & P. c. 6. §.* 14. exiſtimo inductum, an dicam, deceptum, ut pro ſpecie alienationis teſtamentum in genere habuerit. *Alienatio patrimonii,* inquit, *in mortis eventum, ante eam revocabilis, retento interim jure poſſidendi & fruendi, eſt teſtamentum.* Habuit omnino & merito quidem cenſores ſuos hæc definitio. Attendiſſet *Grotius,* vellem, ſi forte teſtamentum per æs & libram oculis ejus obverſatum eſt, neutiquam adhibitam eſſe alienationem veram, ſed imaginariam tantummodo, *§. 3. Inſt. de teſt. ord.* & mancipationem dumtaxat fuiſſe imaginem ſolemnium teſtamenti in comitiis, proinde eam haud affeciſſe teſtationem ipſam, quæ ſeparatim perficiebatur.

ciebatur. *Nam in testamento, quod per æs & librum fit, duæ res agebantur, familiæ mancipatio, & nuncupatio testamenti*, *Ulp*. xx. 9.

V. *Nuncupatur vero testamentum in hunc modum. Tabulas testamenti testator tenens ita dicit: hæc uti in tabulis his, cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor: itaque vos, Quirites, testimonium præbitote*; verba sunt *Ulpiani cit.loc.* jam a viro egregio *Ant. Schultingio* in *Jurisprud. Antejustin. p. 629.* illustrata. Quia, imaginariis solemnitatibus sublatis, alteram tantum partem testamenti per æs & libram, nuncupationem videlicet seu testationem, retinuissemus; iccirco *§.3. Inst. de test. ord.* dici existimat *Jan. a Costa Comment. in cit. §. partim in usu esse desiit*. Magna fuisset ἀκρισία *Triboniani* ac sociorum ejus, si mentem eorum assecutus esset *a Costa*. Ceu vero nuncupationem heredis non posceret ipsa natura testamenti, ac sine testatione testamentum intelligi posset. Quasi uti in comitiis, ante inductum per æs & libram testamentum, absque nuncupatione heredis perfici potuisset testatio. *Nuncupare* enim, ut *Varro* & *Festus* auctores sunt, est nominatim pronunciare, & in tabulas referre.

VI. Considerandæ sunt imaginariæ solemnitates, quum de interitu testamenti per æs & libram disquiritur. Nondum ab usu penitus recessit *Ulpiani* tempore, ut ex ejus *fragm. tit.* 20. apparet: infrequentius tamen paullatim

tim fieri cœpit, nova formula testationi a Prætore data; & plane in desuetudinem abiit formula testandi, juris civilis, sigillatim considerata, *solemnibus verbis per Constantinum amotis, ademptisque his, quorum imaginarius usus est*, *l.* 1. *Cod.Theod. de test. & cod. l.*15. *c. de test.* Postea tamen quodammodo revixit, *jure civili & Prætorio in unam consonantiam juncto*, per Constitutionem Theodosii Jun.& Valent.*l.*21. *C. eod. Nam testes & eorum præsentia, uno contextu testamenti celebrandi gratia, a jure civili descendunt*, ait *Imp. §.*3. *Inst. de test. ord.*

VII. Atque ita olim comparata erat ratio testandi, juris Civilis, quam utique intellexisse videtur *Plinius Hist.nat.*VII.*seg.*1.miseriis generis humani adscribens *curam post se de futuro*; nam testamenti factionem considerabat tamquam actum aliquem juris gentium. Similis fere sententia testatoris cujusdam legitur *l.* 88. *§.*17. *de leg.* 2. *Ego, Lucius Titius, hoc meum testamemtum scripsi, sine ullo Jurisperito, rationem animi mei potius secutus, quam nimiam & miseram diligentiam: & si minus aliquid legitime minusve perite fecero: pro jure legitimo haberi debet hominis sani voluntas.* Nimirum displicebat obligatio civium, qua quisque non suo arbitrio, sed certis legibus testari tenetur, quemadmodum dicitur *l.* 55. *de legat. T. l.*13. *C. de Test.* Romanus, ubicunque loci moretur, Romana, peregrinus *adversus*, hoc est secundum *leges civitatis suæ*, *Ulp.* XX. 14. & ad eum

Cuja-

Cujacius. Ut ejusmodi forma rei testamentariæ Romanæ assignaretur, postulabat genius Romanorum, curiosissimus solemnium quorumvis, & ipsa reip. Rom. facies, quod ex *antecedent. Sectionib.* apparet. Tantum igitur abest, ut cum impedimentis ac molestiis testationem data opera conjunctam voluerint, ut potius magnum erga testamenta favorem habuerint, judiciaque defunctorum defendenda, servanda, implenda quam maxime curaverint Romani. Hac de caussa, substitutiones secundi heredis in locum deficientis primi reperiebantur: bonorum possessiones secundum tabulas a Prætore dabantur: conditio, ceu dicitur, *impossibilis*, quæ testamentum ex eadem ratione, qua contractus, infirmari potuisset, *l.* 31. *de O. & A.* pro non scripta habebatur, *l.* 1. *l.* 20. *de Condit. inst.* herede ex certo tempore, aut ad certum tempus instituto, dies adjectus pro supervacuo habebatur, *§.* 9. *Inst. de her. inst.* Ex iis & reliquis generis ejusdem apparere potest, quantum solliciti fuerint Romani, ut defunctorum voluntas, secundum intentionem eorum, exitum aliquem nancisceretur.

VIII. Quæ superest *testandi formula*, *juris Prætorii*, *& mixti*; *denique testamenta privilegiaria*, in aliud specimen reservo.

PETRI BURMANNI

FR. F. ET NEP. AMSTELÆDAMENSIS

DE

JURE ANNULORUM AUREORUM

DISSERTATIO

LITTERARIO - JURIDICA.


PRÆFATIO AUCTORIS.

UT laudabili *Academiarum nostrarum mori satisfacerem, quo solent illi, qui decurso studiorum stadio tyrocinium deponentes aliquem honoris gradum ambiunt, specimen quoddam industriæ ac diligentiæ navatæ publico dare, varia sese mihi subinde obtulerunt, in quibus tenues ingenii vires periclitarer. Postquam enim in Leidensi Academia sub ductu & auspiciis venerandi Patrui mei Musis præsertim, atque humanioribus literis, quibus maxime capiebar, operatus, ac postea in hoc Trajectino Lycæo, sub Viris doctrinæ gloria conspicuis, elegantioris Jurisprudentiæ & Legum Romanarum studium iis adjunxissem, restabat etiam, ut aliqua Dissertatione conscripta constaret illis, quibus ratio studiorum reddenda erat, me juveniles annos non omnino segniter aut ignave transegisse. In diversa, ut fit, agitabatur mihi animus, & quid potissimum eligerem, non parum æstuabam, cum tandem inclinavi in elegantissimam, sed & difficilem quoque,* de Jure Aureorum Annulorum *materiam, de quo in Digestis & Codice integri habenter tituli: Hos aliqua luce an adfuderim, & an feliciter mihi in hac materia explicanda successerit, lectoris arbitrium esto. De* Annulis

 in

in genere multa quidem a Viris doctis jam fuerunt literis mandata, quos enumerat diligentia Celeb. J. A. Fabricii in Bibliograph. Antiquar. cap. XVIII. 8. pag. 554. & seq. Præter autem Kirchmanni, Fortunii Liceti, aliorumque tractatus de Annulis, *qui omnibus noti ac cogniti sunt, etiam librum de* Annulis *Vossio dedicasse Salmasium scribit Colomes. in Opusc. pag. 817. sed errat. Numquam enim peculiarem de Annulis Dissertationem scripsit Salmasius, sed liber ille, quem Vossio sub nomine amici Amstelædamensis obtulit Salmasius, est specimen confutationis Animadversionum Heraldi, sive tractatus de Subscribendis & signandis testamentis, in quo de Annulis signatoriis eorumque usu in signandis testamentis differit. Hugonis etiam Grotii commentatio de Annulis est adjecta Henrici Kitschii scripto de Annulorum origine, usu, ac varietate, quod Lipsiæ an. 1614. in 4. prodiisse testatur Struvius in Biblioth. Juris cap. VI. ubi pag. 227. dicit de* Jure Annulorum *scripsisse Conradum Rittershusium sub nomine Eggeberti Schaumii; sed quem librum, etiamsi diligenter indagatum, mihi videre non licuit. Christophorum quoque Colerum de hoc argumento commentatum fuisse didici ex ejus notis ad Valer Max. lib. VIII. cap. 1. ex. 3. ubi promittit peculiarem libellum de Jure Annulorum, & quem jam prope adfectum se habere dicit. Etiam de Annulis Equitum Romanorum adcuratam, variaque eruditione refertam disputationem suis in Juvenalem Commentariis intexuisse*

xuisse doctum quemdam Italum patet ex M. Ant. Ferratii Epistolarum lib. II. epist. 2. sed quis ille sit nos ignoramus, cum nomen ejus, ad quem scribit Ferratius, Epistolæ non præfixum sit. De Annulis quoque Syntagma edidit Franciscus Curtius Jesuita Antverp. 1706. *sed quod non magni momenti est, & nobis parum aut nihil utilitatis adtulit, cum non nisi Historicis discursibus, nihil sæpe ad rem facientibus, & Theopoliticis monitis, ut titulus ipse jactat, sit refertum. Cum vero speciatim ac dedita opera de hoc* Jure Annulorum Aureorum *nemo, quod sciam, tractatum aut Dissertationem ediderit, ea quæ sparsim in Virorum doctorum scriptis adnotata observavimus, in ordinem collegimus & in chartam conjecimus. Vale Lector, & hos juveniles conatus favore tuo prosequi ne dedigneris.*



CAPUT PRIMUM.

SUMMARIUM.

Grammaticalia de Annulis. Annuli Etymon & orthographia. Annuli varia significatio. De Annulorum scalptura. Annuli plures in digitis. Martialis locus. Mos hominum otiosorum Annulos spectandos dare. Annulos osculabantur. Annuli in magno pretio habiti. Omina ex Annulis capta. Annuli in luctu depositi. Varia eorum genera. Signatorii. Utensilia Annulis obsignata. Tradere Annulum hæredis institutio. Annuli pronubi, physici, hyberni, & æstivi &c.

ANtequam ad ipsam de Jure Aureorum Annulorum accedamus tractationem, generalia quædam de Annulis eorumque variis generibus præmittemus, sed breviter, nam cùm hanc materiam Kirchmanni & Pitisci in Lexico Antiquario diligentia fere exhauserit, nobis vix spicilegium relictum est, & tantum quasi per satyram ab aliis sparsim adnotata hic colligemus, quæ in virorum doctorum scriptis inter legendum se nobis obtulerunt.

runt. *Annuli* vox ab *anno* deducta est, ut notavit Servius ad Virg. lib.v. Æn. v. 46. & sicut a gyro, in quem redit,. annus dictus est quasi magnus circulus, sic inde *Annulus* diminutive, quasi parvus circulus; ut tradit Varr. lib. v. de Ling. Latin. Hinc ultro patet vocis Orthographia, & errare eos, qui *Anulum* scribendum esse, & ab *anu* dictum, quæ circulum & podicem notat, Etymologia parum decora, contenderunt, liquet: quod defendunt tamen Aldus Manutius in Orthograph. pag. 41. Scalig. ad Varr. pag. 74. & probare etiam videtur Salmas. ad Hist. Aug. pag. 412. ac Taubman. ad Plaut. Menæchm. act. I. 1. 9. Sed refutarunt id satis Dausquejus in Orthograph. pag. 33. & Cellarius pag. 88. Præter vulgatam significationem, qua pro ornamento digitorum sumitur, etiam pro vinculo & compedibus vox *Annuli* occurrit. Martial. lib. XI. Epigr. 38.

Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus. Vide Colv. ad Apulej. pag. 130. & celeb. Duker. ad Flor. IV. 8. 5. & *Annuli* etiam dicti capilli in modum Annulorum torti, unde *in Annulum torquere capillos*, de quo more vid. Salmas. ad Hist. Aug. pag. 131. *Annuli* autem veterum variis characteribus in materia ipsa Annuli impressis, postea gemmis quoque & pretiosis lapidibus adscitis, erant ornati, & effigies Deorum, Majorum, Cæsarum, Virorum Inlustrium, & animalium quoque iis erant insculptæ. Vide Meurs. Exerc. Critic. part. 2. cap. IX. cum vero

An-

Annulorum apud Romanos usus frequentari magis cœpit, non eo fine contenti fuere, ut unum digitis induerent, verum & multos, immo in singulis digitis plures quam unum Annulum gestaverunt luxuriosi. Ovid. III. Artis Amat. v. 446.

Nec toga decipiat filo tenuissima: nec si
Annulus in digitis unus & alter erit.

Martialis lib. v. Epigr. XI.

Sardonychas, smaragdos, adamantas, jaspidas, uno
Versat in articulo Stella, Severe, meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Invenies: inde est hæc, puto, culta manus.

ubi in versu primo cum vox *smaragdos* legi metricæ oppugnaret, Heinsius ad Petronii cap. LXXI. emendat *onychas*. Sed Dausquejus in Orthograph. pag. 341. *smaragos* corrigit, atque ita scribi debere a Græco σμαραγῶ ex Etymologico Magno docet. Idem Epigr. LXI.

Per cujus digitos currit levis Annulus omnes.

& hinc Trimalchionis fastus apud Petron. d. l. qui volebat *ornari Annulis aureis quinque*; ubi vid. Heins. Id autem apud antiquos vitio datum, & multos annulos in digitis gestare semper mollitiei signum fuit habitum. Vid. Kirchman. cap. XVII. & non nisi delicatos homines tot annulis usos putem atque otiosos, quorum mos etiam erat annulos in digitis frequenter versatos ac detractos vicissim spectandos inter se dare, de quo multa Eruditiss. Broukhus. ad Tibull.

Tibull. lib. I. 7. 25. hinc & amantes inspiciendum invicem annulum cum osculo excipiebant. De quo ritu vide Andr. Schott. lib. v. Observ. cap. 3. Quanto autem in pretio habuerint annulos, patet exinde, quod in rebus desperatis, veluti in fuga, abjectis & amissis aliis insignibus ad extremum usque eos retinebant. Vid. Kirchman. cap. xxv. & celeb. Duker. ad Flor. lib. IV. 8. 5. Omina etiam ex illis capta; nam plebi persuasum fuit, singultus comprimi, si ex sinistra manu annulum in longissimum dextræ digitum trajicerent. Id ex Plinio docet venerandus Patruus meus, æterno mihi, dum ἐν βροτοῖσι numerabor, obsequio colendus, in notis ad Petron. cap. LXXIV. in luctu autem publico deponebant annulos. Livius lib. IX. cap. 9. *Extemplo sine ulla publica auctoritate consensum in omnem formam luctus est. Tabernæ circa forum clausæ, laticlavi, annuli aurei positi*, & lib. XLIII. cap. 16. *Extemplo principes civitatis in conspectu populi annulis aureis positis, vestem mutarunt, ut supplices plebem circumirent.* Hæc de annulis in genere. Varias eorum species ac diversa genera enumerat Plinius lib. XXXIII. cap. I. ad quem locum multa commentatus est Jac. Pontan. lib. VIII. Philocaliæ c. 13. & plurima huc facientia congessit Laurent. lib. I. Polymath. Diss. XI. nos etiam quædam addemus. In manumissione, quæ fiebat inter amicos, quinque testes adhibiti, qui annulis subsignabant. Vid. Herald. ad Martial. lib. IX. Epigr.

Epigr. 89. Multa possent quoque coacervari de annulis signatoriis, quibus testamenta signabantur, sed cum eam materiam integro libro pertractaverit Salmas. de subscrib. & signand. testam. nos ea non adtingimus: de illis agit Imperator in §. 5. Inst. de testam. ordin. ubi vid. Interpretes Merillium & Cl. Otton. Porro de annulis signatoriis multi multa. vide Lips. ad Tacit. lib. II. Ann. 2. Salmas. ad Hist. Aug. p.412. Meurs. ad Lycophr. V.508. & Juret. ad Symmach. lib. I. Epist. 12. In his annulis habebant characteres sive aposphragismata. Plin. lib. x. Epist. 16. in fine. Vid. Rycq. de Capitol. cap. XXII. Omnia etiam utensilia annulis obsignabant veteres, quod vocabant Græci σημαίνεσθαι & κατασημαίνεσθαι. Vid. Salmas. de modo Usurar. p. 448. Meurs. d. l. Demst. de Etrur. Regal. Tom. I. lib. III. cap. 28. in fine, & Taubm. ad Plaut. Casin. act. 2. sc. 1. 1. Martial. lib. IX. Epigr. 89.

Nunc signat meus annulus lagenam.

ubi vid. Heraldum; & quidquid lubebat, etiam signabant, inprimis quod abditum & secretum esse vellent. Hinc morientes custodiæ caussa annulum tradebant hæredibus, quos instituebant. V. leg. 79. §. 21. *ff. de legat.* 2. quin & annulum tradere erat signum institutionis hæredum: hinc Alexander moriens Perdiccæ annulum suum tradidit, qua datione licet non voce esset nuncupatus regni hæres, judicio tamen electus videbatur. Justin. lib. XII. 15. in fine.

fine. De annulo pronubo, qui a sponso in pignus conjugii sponsæ dabatur, agitur in leg. 16. C. de Donation. hunc vocabant Græci δακτύλιον ὑπόβολον; vid. Salmas. de mod. Usur. p. 586. Tertullian. in Apolog. cap. 6. hunc annulum aureum dicit fuisse, qua in re cum Plinio videtur pugnare, qui ferreum dicit, sed conciliat eos Kirchman. cap. XVIII. & Rittershus. in Epist. ad Kirchm. post Gudianas Epist. 174. pag. 247. licet novissimus Tertulliani Commentator putet, Plinium non de annulo pronubo loqui, sed de symbolo frugalitatis & modestiæ, qua ad veteres illas horridasque Sabinas sponsa seu nova nupta revocaretur. Plura de hoc annulo in sponsionibus dato ex Digestis vide apud Lindenbrog. ad Terent. Eunuch. Act. 3. sc. 4. 3. Habuerunt etiam annulos Physicos, quibus putabant inesse vim sanandi vel avertendi morbi: vid. Casaub. ad Athenæum lib. III. cap. 34. p. 148. iisque contra serpentum morsus, omnesque dolores usi sunt, quod ex Græcorum scriptis probat Scalig. ad Manil. lib. V. 386. Denique Freherus lib. I. Parergῶn cap. 20. docet, veteres habuisse annulos, quos hyeme, alios quos æstate, aliosque quos die natali gerebant, & hos magis honorificos fuisse: de quibus æstivis & hybernis annulis vide quoque Turneb. lib. XX. Adverſ. cap. 2. Sed latius hæc excutere nostri instituti non est, cum alia de variis annulorum generibus dabunt viri docti, ad quos Lectorem remittimus, Cælius

Cal-

Calcagnin. in operib. p. 580. & 581. Ed. Basil. Pignor. in Symbol. Epistolic. Epist. 1. Pancirol. Rer. memor. part. 1. pag. m. 666--673. & lib. 1. Variar. Lect. cap. XIV. Demsterus in splendido opere de Etrur Regal. Tom. I. lib. III. cap. 28. & Casalius de Romæ Splendor. cap. x. in Thesaur. Antiq. Græcar. Tom. IX. cap. 3. Itaque hæc sufficiant, licet plura cumulari & congeri possent. Quum vero tam promiscuus ac frequens omnibus erat annulorum usus, non tamen ejusdem qualitatis omnes erant annuli, nam quosdam ad ornatum tantum & luxum, ut ex hisce patet, alios ad decus & majestatem, quibus se ab inferiori hominum sorte distinguerent, gestaverunt veteres. Quod præcipue obtinuit in Equitibus & Senatoribus, qui se aureis annulis a plebe discernebant: quique ad hos proxime accedebant, libertate & ingenuitate Principis beneficio donati, quo servos libertosque ob duram eorum conditionem ornare necesse fuit, impetrabant jus aureorum annulorum, de quo nunc in sequentibus capitibus videndum erit.

CA-

CAPUT II.

SUMMARIUM.

Quibus jus aureorum annulorum præcipue indulgebatur. De Equitibus quædam. Equites splendidi & inlustres. Senatores lato clavo, Equites angusto clavo utebantur, ut ab iis discernerentur. Locus Velleji Paterculi inlustratus. Lampridius explicatus. Equites a plebe distincti annulo aureo. Omnes Equites, qui censum habebant equestrem, habebant annulos aureos. Nemini iis uti licebat, nisi qui Senator aut Eques esset. Annulos in læva manu gestaverunt. Iis quoque usos Equites, cum militarent, contra Lipsium adseritur. Annulus aureus a magistratibus dabatur Equitibus. Per eos impetrabant jus sedendi in XIV. ordinibus in theatro. Annulos eos quando amittebant. Si censum equestrem decoxissent. Si judicio damnati essent, & in bonorum cessione. Soli Equites & Senatores aureis, plebeii ferreis utebantur annulis. Legati aureo annulo donati. Scribarum decuriæ variæ. Scribæ emto scripto quæstorio, & Decuria quæstoria ad ordinem equestrem perveniebant, & annulis aureis donabantur.

INter illos autem homines, quibus jus annulorum aureorum concedebatur, præcipui fuerunt Equites. Non operosum hic instituam excursum de Equestri ordine, aut distinctione Equi-

equitum, quæ materia ſatis intricata ac difficilis nos a ſcopo longinquius abduceret, neque etiam hujus loci eſt. Id tantum ſufficiat, diſcrimen primo eſſe inter Equites, & qui equeſtris ordinis, tum qui equeſtri loco nati eſſent. Primi iidem ſunt, nam quicumque eques eſt, idem & equeſtris ordinis; qui vero patre equite natus eſt; ſed non Senatore, is equeſtri loco natus eſſe dicitur, ſi vero patre Senatore natus, eques, ſed non equeſtri loco natus vocatur. Hanc diſtinctionem pluribus explicat *Manut. de Civit. Roman. pag. m. 6.* Quod ad eorum titulos adtinet, in genere ordo equeſtris *ampliſſimus ordo* vocatur. Vide *Cicer. pro Muren. cap. 39.* & notas *ad Sueton. Veſpaſ. c. 9.* Porro conſtat Equites diviſos fuiſſe in *ſplendidos* & *inluſtres*. Splendidorum titulum proprie habebant illi, qui equum publicum, a Cenſoribus acceptum, ſuis alebant impenſis, ut ex pluribus Ciceronis locis, & antiquis Inſcriptionibus patet. Vide Reineſ. ad Claſſ. 1. Inſcript. 23. & Sponium in Miſcell. Erud. Antiq. pag. 89. De hoc *ſplendidorum* Equitum titulo agunt Ruben. lib. 1. de Re Veſtiar. cap. XIV. pag. 86. & Pricæus ad Apulej. Apolog. p. 146. *Inluſtres* autem Equites erant, qui cenſum Senatorium poſſidebant, licet Senatores non eſſent, ſed proximum ad Senatoris dignitatem gradum habebant. Hos explicat *Lipſius ad Tacit. lib.* II. *Annal. cap.* 4. & *Ryckius ad* II. *Ann. c.* 59. & hi lato clavo, inſtar Senatorum, ute-

bantur, quo a reliquis distinguerentur. Dio Cass. lib. LIX. vide Ferrar. lib. III. de Re Vestiar. c. 14. Ceteri enim equites angusto clavo discernebantur a Senatoribus, qui omnes erant laticlavii, equites vero tantum angusticlavii. Et sic distinguuntur clare in *l. 42. ff. de Donat. inter Vir. & Uxor.* quam inlustrat Cujac. lib. XII. Obser. cap. 49. sed quem erravisse in explicatione lati clavi Senatorum, & angusti clavi equitum, ostendit Salmas. ad Histor. Aug. pag. 510. quem vide. Vellejus Paterc. lib. II. cap. 88. de Mœcenate Equite Rom. *Vixit angusti clavi pæne contentus, nec minora consequi potuit, sed non concupivit*. Ubi vide Commentatores, quos locus ille valde vexavit, dum alii emendarunt, *angusti clavi pænula contentus*, alii, *angusti clavi bonore contentus*. Sed ex adlatis ab Heinsio veterum exemplis patet, frequentissime τὸ *contentus* regere casum secundum, & sic hoc in loco capiendum, nisi quis malit cum Fr. Nansio in Curis secundis ad Nonni Paraphras. pag. 39. subintelligere *veste* vel *tunica*, Græca constructione, quod tamen non puto. De angusto clavo etiam intelligendus est Lampridius in Alexandro Severo pag. m. 123. *Tum satis esse constituit, ut Equites Romani a Senatoribus clavi qualitate discernerentur*. Hoc est, instituisse Severum, ut Senatorum propria esset laticlavia tunica, Equitum angusticlavia, cum antea etiam latum clavum Equites gererent. Sic recte explicat Casaubonus. De his, quæ præmittenda

tenda duxi ad discrimen, quo Equites a Senatoribus distinguebantur, plura dabunt Rei Vestiariæ Scriptores. Ut vero angustus clavus Equitem a Senatore distinguebat, sic eumdem a plebe discernebant annuli aurei; quorum jus omnibus equitibus commune erat. Plinius lib. XXXIII. cap. I. non procul a fine: *Annuli distinxere alterum ordinem a plebe, ut semel cœperant esse celebres, sicut tunica ab annulis Senatum tantum*. Idem in cap. 2. tradit annulorum aureorum auctoritati formam constitutam esse C. Asinio Pollione, & C. Antistio Vetere Coss. A. U. C. DCCLXXV. & addit, *constitutum fuisse ne cui id jus esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri avoque paterno sestertia* CCCC. *census fuisset, & lege Julia theatrali in* XIV. *ordinibus sedendi*. Hic autem census CCCC. sestertium in bonis, non vero in reditibus annuis, ut quidam opinantur, constabat, quod contra alios adserit Ferrar. lib. I. Elector. cap. 20. & vide de eo Hotoman. ad Cic. Orat. pro Rosc. Amer c. 49. quo facit Arnobii locus lib. IV. *Pecunia donat annulos aureos*. Nemini vero permissum erat hoc jure uti, nisi qui Senator aut Eques esset. Dio Cass. lib. XLVIII. Τῶν πάλαι Ρωμαίων ὐδενὶ δακτυλίοις χρυσοῖς, πλὴν τῶν τε βουλευτῶν καὶ ἱππέων, χρῆσθαι ἐξῆν. *Nulli olim Romanorum aureos licuit gestare annulos, excepto Senatore & Equite*. Hunc annulum gestabant in manu læva, ut patet ex Ovidio,

dio, lib. III. Amor. 8. 15. in rivalem suum; qui sanguine pastus eques erat,

> Læva Manus, *cui nunc serum male convenit aurum,*
> *Scuta tulit, dextram tange, cruenta fuit.*

Silius Italicus lib. XI. 536.

> *Testes hi stragis, quos signum inlustre superbis*
> *Mos* Læva *gestare viris: tum funditur ante*
> *Ora admirantum præfulgens annulus auro.*

Ubi vide Dan. Hensium. Sueton. Cæs. cap. 33. *Existimatur etiam equestres census pollicitus singulis, quod accidit opinione falsa. Nam cum in adloquendo exhortandove, sæpius digitum* Lævæ Manus *ostentans, adfirmaret se ad satisfaciendum omnibus, annulum quoque æquo animo detracturum sibi, extrema concio pro dicto accepit, quod visu suspicabatur, promissumque jus annulorum cum millibus quadringentis fama distulit.* Et ita quoque illi, qui sub Imperatoribus ex libertina conditione ingenui facti dignitate equestri atque annulis aureis ornati erant, quo referendus est Statius lib. III. Sylv. 3.

> *Mutavitque genus*, Lævæque *ignobile ferrum*
> *Exuit, & celse natorum æquavit honori.*

De quo loco infra agendum erit. Verosimile etiam est hunc annulum gestasse in lævæ manus digito, qui minimo proximus est, ut solebant veteres, ac propterea digitum illum *annularem* vocabant. Vide Gell. lib. X. cap. 10. & Macrob.

crob. lib. VII Saturn. cap. 13. quæ loca explicant *Bernegg. in Diatrib. ad Sueton. pag.* 72. & *Pancirol. Rer. Memorab. part.* 1 *pag* 671. Rationes enumerat *M. Piccartus in Epist. ad Kirchm. post Gudian.* CLXXXIII. *pag.* 255.

Ut autem equites Romani annulis aureis in Urbe utebantur, quæritur, an etiam, cum militarent, habuerint jus illud annulos gerendi, quod Tribunis erat concessum? Id negat Justus Lipsius lib. II. Elector, cap. 8. & in rem suam profert locum Appiani Alexandrini in Bell. Punicis pag. m. 104. Τὺς δὲ χιλιάρχυς ἐρευνησάμενος τὰ νεκρὰ, καὶ ἀπὸ τῆς σφραγῖδος εὑρὼν (χρυσοφορῦσι γὰρ τῶν στρατευομένων οἱ χιλίαρχοι, τῶν ἐλαττόνων σιδηροφορύντων) ἔθαψεν αὐτύς. *Tribunos autem quæsitos inter cadavera, & aureorum annulorum agnitos indicio [his enim differunt a vulgo militum, ferreos gestantium] sepelivit.* Sed per ἐλαττόνυς σιδηροφορῦντες recte Tollius in notis ad illum locum intelligit pedites & gregarios milites, qui ferreorum annulorum usum habebant, quod & ipse Lipsius postea monuit in opere de Militia Romana; contra quem contrarium etiam adseruit *Kirchman. de Annulis cap* XV. *pag.* 126. & 127. nam Tribunis militum, qui aureis annulis insigniti erant, non minores dignitate erant Equites, ideoque etiam verisimile est, Equites pariter ac Tribunos, dum militarent, gestasse annulos aureos, cum reliqui

milites gregarii ac pedites ferreis induti erant, quibus postea demum aureis quoque uti permisit Imperator Severus. Vide *Stewechium ad Veget. lib.* II. *cap.* 7. *pag.* 77. Hoc vero equestris dignitatis insigne dabatur Equiti a Magistratibus, *neque enim licebat Equitibus Romanis uti annulis, nisi a prætoribus iis donati essent*, ut ait Acron ad Horat. lib. II. Sat. 7. v. 53. de Roscio, qui a Sulla Dictatore donatus est aureo annulo, ita Macrob. lib. II. Saturn. 10. *Is est Roscius, qui etiam & L. Sullæ carissimus fuit, & annulo aureo ab eodem Dictatore donatus est*; & quidem ut eo jure illos adficerent, quo gaudebant, si a Censoribus lecti Equites essent. Præcipuum inter ea erat, ut in theatro, in quo antea Senatores separatim spectabant, haberent jus sedendi in XIV. ordinibus, qui Equitibus dati sunt Lege Roscia A. U. 685. De eo accipe Plinii locum lib. III. Epist. 2. *Caret ambitu, ideoque se in* Equestri gradu *tenuit, cum facile posset adscendere altissimum*. Ubi vide notas. De Laberio Sueton. in Cæs. cap 39. *Ludis Decimus Laberius eques Romanus, mimum suum egit, donatusque quingentis sestertiis, & annulo aureo, sessum in quatuordecim e scena per orchestram transiit*. De quo etiam vide Macrob lib. II. Saturn. cap. 3. Non exscribam, quæ de his XIV. ordinibus passim adnotarunt Viri eruditi. Late de iis agit doctissimus Massonius in vita Horatii a pag. 112. ad p. 118. Sigonius lib. II. de Antiq. jur. Civ. Rom. cap. 19. quibus addi pos-

sunt

ſunt Torrent. ad Sueton. Ner. cap. xI. Lipſius ad Tacit. xv. Annal. cap. 32. & de Amphitr. cap. xIv. Quemadmodum autem equum publicum, quo donati equeſtris ordinis dignitatem adipiſcebantur, pœnæ cauſſa Cenſores rurſus iis adimebant, [de quo v. Freher. lib. II. Parerg. cap. 18. in fine] ita etiam ſi bona ſua decoxiſſent, neque amplius cenſum equeſtrem habebant, annuli aurei inſigne illis auferebatur. Notus de hac re eſt locus Juvenalis Sat. xI. v. 42.

Talibus a Dominis poſt cuncta noviſſimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.

Hinc facetum Martialis Epigramma in Macrum, qui ordinis equeſtris erat, ſed nimis multa munera atque annulos puellis dando ita cenſum equeſtrem imminuerat, ut ipſe annulum ſuum deponere cogeretur, lib. vIII. Epigr. 5.

Dum donas, Macer, annulos puellis,
Deſiſti, Macer, annulos habere.

vide Pricæum ad Apulej. Apolog. pag. 169. & Sigon. lib. II. cap. 3 pag. 284. Deponere etiam annulum debebant, ſi judicio damnati eſſent, ut de Arellio Fuſco auctor eſt Plinius lib. xxxII. cap. 12. In bonorum quoque ceſſione inter alias verborum ſolemnitates deponi jubebantur annuli aurei, & cujuſcumque ordinis ac dignitatis inſignia. Apulejus in Apologia: *Lex negat poſſe diſſolvere, annulos aureos & omnia inſignia dignitatis abjicit, cum creditoribus depaciſcitur.* ubi vide Scip. Gentilem pag. 367.

Aureis tamen annulis ipſos Senatores & Equites antiquioribus temporibus non uſos, ſed ferreis patet ex Plinio lib. XXXIII. cap. I. ubi tradit antiquitus modo in uſu fuiſſe ferreum annulum, ita ut Senatus longo tempore aureis caruerit. Poſtea tamen invaleſcente eorum uſu, Senatorum Equitumque proprius ac præcipuus ornatus fuit annulus aureus: quin & bello Punico ſecundo promiſcue omnes geſtaſſe aureos colligunt ex Hiſtoria Annibalis, qui clade Romanis ad Cannas inlata Carthaginem miſit tres annulorum modios, quos digitis mortuorum detraxerat. Vide Livium lib. XXIII. Plin. l. XXXIII. I. & Lud. Vivem ad Auguſtin. de Civit. Dei lib. III. p. 334. Ex hoc ingenti numero concludunt annulos tam communis uſus fuiſſe, ut plebeji aliique etiam gregarii milites eos geſtare debuerint, quia aliter fidem excederet. Sed recte Ferrar. lib. I. Elector. cap. 21. ubi multa de annulis collegit, oſtendit modium unum continuiſſe menſuram Quartarii; & ita trium modiorum ſumma non adeo incredibilis videtur, etiamſi Senatores & Equites ſoli jus annulos aureos geſtandi habuerint: quod unice verum eſt, nam ibidem Livius tradit, Magonem Pœnum annulos eos in Curia effundentem dixiſſe, neminem aurei annuli inſigne ferre niſi Equites, & eorum primores. De hac re ita Valer. Max. lib. VII. 2. ext. 16. narrat, *Magonem Cannenſis pugnæ exitum ſenatui Pœnorum nuntiaſſe, & in tanti ſucceſſus fidem annulos*

annulos aureos trium modiorum mensuram explentes, & *qui* Romanis civibus *detracti erant, fudisse*. Et sic deinceps fuere semper inter se distincti, ut Equites Senatoresque aureos, plebeji ferreos haberent annulos. Hinc de libertino Statius lib. III. Sylv. 3. 143. vocat *ignobile ferrum*. Et hoc patet unice ex festivo Martialis Epigrammate lib. III. Ep. 29. in Zoilum, qui ex servili conditione pervenerat ad equestrem dignitatem,

Has cum gemina compede dedicat catenas;
Saturne, tibi, Zoilus, annulos priores,

nimirum dedicabat *annulos priores*; idest ferreos, servorum compedes, cum nunc aureos adeptus esset eques factus. Vide illic Ramirezium de Prado. Et clare Plinius loco sæpius laudato dicit, *annulos aureos alterum ordinem*, equites nempe, *distinxisse a plebe*. Sed & verosimile non est, in bello omnes milites promiscue aureis fuisse ornatos, cum aperte Appianus Alexandr. loco supra adducto, dicat Tribunos militum, ac proinde etiam Equites illis non minores, differre his annulis a vulgo militum ferreos gestantium: χρυσοφοροῦσι γὰρ, inquit, τῶν στρατευομένων οἱ χιλίαρχοι, τῶν ἐλαττόνων σιδηροφορούντων. Neque tamen negaverim, posterioribus temporibus promiscue aureos omnibus etiam gregariis militibus esse concessos: præsertim cum Severus, teste Herodiano lib. III. cap. VIII.

τοῖς

τοῖς ςρατιώταις πολλὰ συνεχώρησε, ἃ μὴ πρότερον εἶχον, καὶ δακτυλίοις χρυσοῖς χρήσασθαι ἐπέτρεψε. *Militibus multa indulsit, quae numquam antea habuerant, & annulis aureis uti permisit*. Sed cum hæc contra priscæ Reipublicæ morem a Severo facta sint, ea non universim sunt accipienda. Hæc de Equitibus in genere dicta sufficiant, etiamsi plura addere in promptu foret, quæ latius excutiunt Kirchman. *Cap XV & XVI*. Faber lib. II. Semestr 6. Sigon. de Antiq. Jur. Civ. Rom. lib. II. cap. 3. Torrent. ad Sueton. Cæs. cap. 3. & prolixe Ferrarius lib. II. Epist. 2. multique alii, quos adnotare supersedeo. Legatis porro annulos aureos dedisse Romanos auctor est Plinius lib. XXXIII. cap. I. *Siquidem his tantum, qui legati ad exteras gentes ituri essent, annuli aurei publice dabantur, credo quoniam ita exterorum honoratissimi intelligebantur, neque aliis uti mos fuit, quam qui ex ea caussa publice accepissent*. Cujus rei ratio fuit, quia cum ex omni ordine mitterentur multi, ut Senatores, qui præcipue ad legationes eligebantur, eo ornamento alias carere necesse habebant. Vide *Alb. Gentil. lib. I. de Legation. cap. 18.* in fine. Scribas etiam annulo aureo donatos esse, & ad Equestrem dignitatem pervenisse legimus. Eorum ordo erat satis honestus, quia, ut Cicero ait, illorum fidei tabulæ publicæ, & magistratuum pericula committebantur. Negat tamen Sigonius *lib. II.* *de*

de Antiq Jur. Civ. Rom. cap. 8. in fine, ſcribarum ordinem admodum gravem aut honeſtum fuiſſe; quem refutat Guther. lib. II. de Jure Pontif. cap. 13. & probat etiam Torrent. ad Horat. 1. Sat. 5. 66. ubi de iis agit. Hoc tamen diſtinguendum, quod pro dignitate magiſtratuum, quibus ſe addicebant, magis vel minus honorati eſſent: hinc ſemper titulis ſuis adſcribebant, quibus magiſtratibus inſerviiſſent, ut ſcriba *quæſtorius, ædilitius &c.* Vide Turneb. lib. XI. Adverſ. cap. 10. in fine; ſic *ſcribæ librarii quæſtorii* mentio eſt apud Fabrettum cap. X. pag 719. & Gruter. pag. DCXXVII. 5. ubi pro *SER. LIBR. QVÆSTORIVS* Reineſ. in Epiſt. ad Rupert. pag. 158. legit, *SCRIBÆ LIBR QVÆSTORIVS*. Ex eo etiam quod hoc munus Equite Romano non indignum erat, honeſtum ſcribarum ordinem fuiſſe pluribus probat Fabrettus ad Inſcript. Antiq. c. VII. pag. 458. Ingens illorum Romæ erat numerus, ideoque in certas fuere diviſi centurias, quæ a magiſtratibus illis, quibus operam ſuam locabant, nomen ſortiebantur, ut inter ſe diſtinguerentur. Sic erant ſcribæ ædilitii, prætorii, quæſtorii, tribunitii, aliique. Vid. Caſaub. ad Hiſt. Aug. p. m. 138. Valeſ. ad Ammian. Marc. lib. XXVIII. 6. & Reineſ. in Epiſt. ad Rupert. XXXI. Hi vero magiſtratus, ut quæſtores, prætoreſque, ex pecuniis & vectigalibus publicis, quæ populi ſtipendiarii ſolvebant, deducebant duas quinquageſimas, quæ ſcribis ſuis concede

debant. His autem nummis emebant sibi Decuriam quæstoriam, qua comparata, cum antea essent liberti plerumque vel libertini, pro Equite Romano gerere se poterant. De Sarmento scriba notus est locus Scholiastæ Juvenalis ad Sat. v. *v.* 3. qui natione Thuscus ac libertus, emto scripto Quæstorio eques factus est, & in Decuriam Quæstoriam relatus. In quo loco male Casaubonum ad Sueton. Aug. cap. 32. *decuriam Quæstoriam* pro equestri accepisse observavit Vales. ad Ammian. d. l. Horatius etiam, antequam Mæcenatis munificentia adeo ditatus esset, munere scribæ functus fuit, & ut in ejus vita refert Suetonius, finita militia, *scriptum Quæstorium comparavit*, ut nempe se pro Equite Romano gerere posset. *Scriptus* autem, ut recte adnotarunt Viri docti, hic idem ac *scribatus*, significat scribæ officium ac professionem. Vide Reines. ad Inscription. Class. VI. 85. & de scripto Quæstorio, ac Decuria Quæstoria in primis Epistolam Salmasii ad Sarravium, quæ inter Sarravianas est LXXXII. pag. 82. & 83. quam tamen totam ex suis notis primæ Editionis a Salmasio esse compilatam queritur Valesius ad Ammian d. l. p. 590 Ed. Gronov. Vide etiam de hac re Massonium in vita Horatii pag. 74. & seqq.

Tali autem scripto emto Equites etiam Romani fiebant, ac proinde annulis donabantur aureis. De Verre, qui scribæ suo tantam pecuniam dederat, ut emta Decuria in secun-

dum

dum civitatis ordinem, hoc est equestrem, venerit, atque annulo ab eo donatus fuerit, ita Cicero in III. Verrin. cap. 80. *Hinc ille annulus aureus, quo tu istum in concione donasti, quæ tua donatio singulari impudentia prædita, nova Siculis omnibus, mihi vero etiam incredibilis videbatur*. Et paullo post: *Annulo est aureo scriba donatus, & ad eam donationem est concio advocata. Quod erat os tuum, cum videbas in concione, eos homines, quorum ex bonis annulus iste aureus donabatur, qui ipsi annulos aureos posuerant, liberisque detraxerant, ut esset unde scriba tuus hoc tuum munus ac beneficium tueretur?*

CA-

CAPUT III.

SUMMARIUM.

Liberti jure annulorum donati, ut ingenui fierent. Libertinis autem hoc jure interdictum. Quid liberti & libertini. Non tamen plenam ingenuitatem adipiscebantur liberti. A Cæsare illud jus impetrabant, & nomina mutabant. Statii locus explicatus, & in eo Salmasii emendatio adserta: dubitatum de Campani distinctione inter annulo aureo donari, & annuli jus impetrare. *Requirebatur consensus Patronorum. Annulis ingenui facti civitatem Romanam etiam accipiebant. Constitutio Antonini Caracalli. In Tribus quoque urbanas referebantur, & in militiam poterant adsumi. Rationes cur non perfectam sed imaginariam tantum ingenuitatem consequerentur. Alii modi libertos efficiendi ingenuos.*

SUb Imperatoribus vero liberti annulis aureis donabantur, ut jus ingenuitatis nanciscerentur, ac proinde equestri etiam dignitate ornari possent: Libertinæ autem conditionis hominibus usu annulorum lege publica erat interdictum: hinc ridiculus Trimalchionis libertini hominis fastus apud Petron. cap. LXXI. qui volebat ornari *annulis aureis quinque*. Quin etsi hoc ornamento essent usi, Lege Viscellia graviter in eos pro facti qualitate animadvertebatur.

batur. *l. 1. C. ad Leg. Vifcel.* De Alexandro Severo teftatur Lampridius in ejus vita pag. 120. illum *numquam libertinos in equeftrem locum redegiffe*; hoc eft, non donaviffe jure aureorum annulorum, ut recte interpretatur Cafaubonus. Hinc in Opilio Macrino libertino homine, ignobili ac proftibulo, notat Capitolinus in ejus vita pag. 49. ex Aurelio Victore, *Macrinum libertinum hominem proftibulum, fenilibus officiis occupatum in domo Imperatoria, donatum fuiffe annulis aureis, patrocinante fibi liberto fuo Fefto, fub Vero Antonino*. Vide Lipf. de Magnitud. Rom. lib. IV. cap. 2. Sed non femper tamen id obtinuit, nam pro varia temporum conditione fub aliis Imperatoribus etiam hæc variarunt, ac libertini quoque adfciti inter Equites, atque annulis honorati funt. *Libertorum* & *libertinorum* differentiam, eorumque varia genera non exponemus, quia hæc fatis explicuerunt Viri docti. vid. Cafaub. ad Suet. Claud. 24. Iftos ad Caii Inft. lib. 1. tit. 1. Pith. ad Collat. Leg. Mof. & Rom. tit. XVI. 8. Ræyard. lib. 1. Conjectan. cap. 8. & inprimis Mercer. lib. 1. Opinion. 10. Liberti autem a Principe annulis donati, equeftris, ut diximus, dignitatis fiunt, atque ingenuitatis jura confequuntur. *l. 5. h. t.* hoc Modeftinus in leg. XIIII. ff. de Excufat. Tutor. vocat *δίκαιον χρυσῶν δακτυλίων*. licet potius imaginem ingenuitatis, non vero ftatum habeant. *l. un. Cod. ad leg. Vifcel.* nam pro ingenuis

nuis tantum habentur, & licet patronis nullum officium aut operas debeant, illis tamen reverentiam & obsequium præstant. *l* 10. *§. 3. ff. de in jus voc.* & ab eorum hæreditate patroni non excluduntur. *l. 5. h. t.* sed & patronus præteritus adversus illorum tabulas habet bonorum possessionem. *l. 3. de bon. libert.* Unde eos vivere quasi ingenuos, mori tamquam libertos ait Ulpian. *l. 3. ff. eod.* ubi in notis Gothofredus, & ad *leg. 2. Cod. de natal. restit.* observat, jure aureorum annulorum donatos deterioris esse conditionis, quam qui natalibus restituebantur. Sed plerumque tamen simul utrumque jus petebatur, & hæc ratio videtur, cur ob illam materiarum adfinitatem Tribonianus conjunxerit titulos de jur. aur. ann. & de natalib. restit. vide Maranum in Paratitlis Codicis, & Paponis Tractat. de Nobilit. v. arrest. 4. Ad hoc jus annulorum libertis datum egregie facit Plinii locus lib. VIII. Epist. 6. *Omitto quod Pallanti servo prætoria ornamenta offeruntur, quippe offeruntur a servis: mitto quod censent non exhortandum modo, verum etiam compellendum ad usum aureorum annulorum.* Ubi vide Catanæum, & Oizel. ad Caj. I. Inst. I. ac plura apud Mercer. lib. I. Opinion. cap. 8. Qui ergo hoc honore frui volebant, a Cæsare annulorum jus impetrabant, cujus rei exempla plurima in Rei Romanæ Scriptoribus occurrunt. Ex Dione lib. LIII. notum est Augustum, libertinæ conditionis hominem Antonium Musam medicum,

eum, a quo ex gravi ægritudine sanitati restitutus erat, jure aureorum annulorum donasse, eumque Equitem factum in XIV. ordinibus sedisse, in quem acerbissimum carmen scripsit Horatius Epod. IV. ubi hæc inter alia,

Sectus flagellis hic triumviralibus
Præconis ad fastidium,
Arat Falerni mille fundi jugera,
Et Appiam mannis terit,
Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contemto sedet.

quem locum exponit P. Faber lib. II. Semestr. cap. 6. De Hycello, vel Icello, ut alii scribunt, Galbæ liberto, tradit Tacit. lib. I. Histor. cap. 13. eum *annulis donatum equestri nomine Martianum vocitatum fuisse*. Ubi multa huc pertinentia habent Commentatores: ex quo loco etiam adparet, nomen mutasse libertos, si ingenui fierent, quod & in manumissis aut adoptatis obtinebat. Vid. Mercer. in notis ad Aristænet. lib. I. pag. 252. De eodem Icello Sueton. in Galba cap. 14. *Libertus Icellus, paullo ante annulis aureis & Martiani cognomine ornatus, ac jam summi equestris gradus candidatus*. Ubi vide Casaub. De Asiatico liberto Vitellii tradit Sueton. in illius vita cap. 12. *Primo Imperii die aureis eum donavit annulis super cænam, cum mane rogantibus pro eo cunctis detestatus esset severissime talem equestris ordinis maculam*. De eodem Tacitus lib. II. Histor. cap. 57. *Postulante exercitu, ut libertum suum Asiaticum eque-*

stri dignitate donaret, inhonestam adulationem compescuit. Dein mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter secreta convivii largitur, honoravitque Asiaticum annulis, fœdum mancipium, & malis artibus ambitiosum. Idem lib. IV. cap. 3. narrat de eodem Vitellio, *servum Verginii Capitonis, proditorem Tarracinensium, patibulo adfixum in iisdem annulis, quos acceptos a Vitellio gestabat.* Vide plura apud Ferand. Adduens. lib. I. Explication. in tom. II. Thesaur. Juris pag. 547. & Christ. Wilh. Eybenium de Ordin. Equestr. Vet. Rom. in Thesauro Sallengri tom. I. Sect. X. pag. 1104. De annulis aureis & equestri dignitate libertino datis capiendus etiam est Papinius Statius lib. III. Sylv. v. 145.

Atque idem in cuneos populum cum duxit equestres,
Mutavitque genus, lævæque ignobile ferrum
Exuit, & celso natorum æquavit honore.

Quem locum antea obscurissimum primus inlustravit ac sanitati restituit *Salmasius ad Hist. Aug. pag.* 170. ultimum versum nullum sensum habentem ita emendans, & *celse natorum æquavit honori.* Ubi etiam viros quosdam doctos graviter errasse ostendit, qui hæc de jure trium liberorum accipiebant: quæ tangunt Lipsium lib. II. Elector. cap. 8. hos Statii versus ita explicantem. Et tamen post Lipsium eumdem quoque errorem errasse dicendi sunt Gevart.

cap. IX.

cap. IX. Papinian. Lect. Pitiscus in Lexic. Antiqu. tom. I. pag. 100. b. & Francisc. Curtius Jesuita in Syntagm. de Annul. cap. I. sect. v. pag. 74. qui putant Statium innuere patrem Etrusci, qui servus erat, a Vespasiano in equites relatum, & donatum aureo annulo, ac jure trium liberorum auctum. Sed quaenam celsitudo in jure trium liberorum esset, vellem explicuissent, & quo colore Latine dici posset, aliquem æquari celso natorum honore, pro trium liberorum jure donari. Itaque palmaria ac verissima est Salmasii emendatio, quam plerique Viri docti amplexi sunt, & pluribus adstruxit Gronov. in Diatrib. Statian. pag. 32. p. 206. & 209. Sensum etiam loci adsecuti sunt Bernartius ac Barthius in notis suis. Sed perperam Em. Cruceus cum Gevartio priorem sententiam defendere conatur; qui tamen postea hoc revocavit in Frondatione, sive Antidiatrib. pag. 62. & 63. & *celsum honorem* exponit dignitatem equestrem, qua Etruscus a Vespasiano fuit donatus, qui natorum suorum, hoc est Titi & Domitiani tunc nondum in Senatorium ordinem adlectorum, honori Etruscum æquabat. Sed hæc explicatio mihi videtur contorta ac durior. Locutionem autem *celse natus*, ut *alte natus* & similia multis inlustravit Marklandus: qua constructione etiam apud Sueton. Galb. c. 14. Pro *summi equestris gradus candidatus* Pontanus ad Macrob. lib. II. Saturn. cap. 10. legit *summe equestris gradus*. Sed vide plura

de hoc Statii loco apud Salmaſ. in Epiſt. ad Gronov. quæ præfixa eſt Gronovii Elencho Antidiatrib. Mercur. Frondat. a pag. 22. ad pag. 26. & Gronovium ipſum p 111. & 112. De hac quoque aureorum annulorum donatione collegit quædam Freinshem. ad Flor. lib. 1. cap. 5. §. 6. ubi etiam videndus eſt Vir celeberrimus, & meo præconio longe major, C. A. Dukerus, qui de Petri Fabri ſententia dubitat, putantis, libertinos per jus aureorum annulorum quidem accepiſſe dignitatem equeſtrem, ſed non Equites fuiſſe, nec dici potuiſſe, niſi etiam equo publico donati eſſent. Ceterum inter *annulo aureo donari*, & *impetrare jus aurei annuli* ita diſtinguit Campianus de Offic. & Poteſt. Magiſtr. Rom. ad leg. 2. ff. de Offic. Adſeſſor. p. 470. & 471 quod libertus annulo aureo impetrato reſtitueretur imaginariæ ingenuorum conditioni; ſalvo manente patronatus jure. Si vero annulo aureo donabatur, ſtatim in ordinem equeſtrem lectus erat, quo extinguebantur omnia patronorum jura, & omnis macula ſervitutis tollebatur. Igitur ſecundum hanc ſententiam, qui in equeſtrem ordinem legebatur, annulo aureo donari dicebatur; ſed qui jura ingenuitatis obtinebat, is annulum impetrabat. Hinc numquam libertinos annulis donari dixerunt: Reſtitutus autem natalibus erat ſimilis illi, qui annulo aureo donabatur, excepta dignitate, & perinde erat ac ſic ingenuus natus eſſet. Quod diſcrimen non recte obſervaſſe Cujacium lib. VII.
Obſerv.

Observ. cap. 14. & Connan. lib. II. Comment. Juris cap. XII. ibidem adnotat. Sed dubito an semper hanc distinctionem observarint scriptores, & promiscue hæc usurpata putem, præsertim cum id ipse apud Suetonium occurrere fateatur Campianus, & alia quoque Auctorum loca id evincant. Hos annulos ut impetrarent liberti ad ingenuitatem, & per eam jus quoque Quiritium consequendum, requirebatur Patronorum consensus; quibus invitis aut ignorantibus si eos accepissent, adimebatur illis jus annulorum *l. 3. h. t. l. ult. C. de natal. rest.* Plinius lib. x. Epist. 12. *Rogo indulgeas jus Quiritium L. Satrio Abascantio, & P. Cæsio Phosphoro, & Panchariæ* [sive *P. Anchariæ* ut legit Reines. ad Inscript. Class. II.2.] *Soteridi. Quod a te volentibus patronis peto*. Iis autem annulis aureis Principis beneficio acceptis non tantum ingenuitatem, sed & civitatem quoque Romanam adipiscebantur: non tamen inter veteres cives, ut puto, sed tantum inter novos censeri poterant; nam illi erant, qui ex peregrinitate per Principis benignitatem civitatis Romanæ erant facti participes. Vide Patruum meum in Differt. de Vectigalib. cap. XI. pag. 166. Edit. noviss. Sed Antoninus Caracallus, ut omnium, quicumque in Imperio Romano essent, eadem & æqualis foret conditio, omnes etiam civitate Romana sine discrimine donavit. De quo intelligenda lex 17. ff. de Stat. hom. *In orbe Romano qui sunt, ex constitutione Imperatoris*

 toris

toris Antonini cives Romani effecti sunt. Ratio fuit, non ut hoc honote omnes æqualiter adfi. ceret, sed ut fiscum suum augeret vigesima hæreditatum [de qua vide Academiæ quondam Batavæ eximium decus Ant. Schulting. ad Paul. Senten. lib. IV. tit. 6.] utque ad eam solvendam omnes perinde tenerentur. Dion Cassius in Excerptis Peirescianis pag. 745. οὗ ἕνεκα καὶ Ῥωμαίους πάντας τοὺς ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ λόγῳ μὲν τιμῶν, ἔργῳ δὲ ὅπως πλείω αὐτῷ καὶ ἐκ τοιούτου προσῇ, διὰ τὸ τοὺς ξένους τὰ πολλὰ αὐτῶν μὴ συντελεῖν, ἀπέδειξεν. *Cujus rei caussa etiam omnibus, qui in orbe Romano erant, civitatem dedit, specie quidem ipse iis honorem tribuens, sed revera ut fiscum suum augeret, quippe cum peregrini pleraque horum vectigalium non penderent*. Ad quem locum vide Valesii notas pag. 108. Hæc est celebris illa constitutio Antonini Caracalli, cujus male alii Antoninum Pium, alii Hadrianum auctorem fecere. Constat enim jam inter Eruditos, non ab Antonino Pio, sed a Caracallo, sub quo vixit Ulpianus auctor hujus legis 17. hanc constitutionem editam fuisse: quod patebit ex iis, quæ prolixius de hac re disseruerunt Spanhem. in Orbe Roman. Exercit. 2. cap. 4. & 5. & Patruus meus de Vectigal. Pop. Rom. cap. XI. pag. 175. & seqq. qui docuit errorem hunc ortum esse ex confusione diversorum Antoninorum, qui cum plures fuerint, a

Scriptoribus etiam non adcurate ad temporum rationem adtendentibus, fuere inter se confusi: hinc etiam non erraſſe putem Petr Fabrum lib. III. Semeſtr. cap. XII. pag. 164. qui exiſtimat SCtum Vitraſianum, cujus mentio fit in *l. 30. §. 6. ff. de fideic. libert.* referendum eſſe ad an. Urb. 918. imperante *Antonino Philoſopho*; quem tamen carpit Cl. Otto in præfat. ad tom. I. Theſ. Jur. pag. ult. in fine, judicans referri illud SCtum debere ad *Marcum Aurelium*; quod profecto nondum ex Antiquitate didiceram, & M. Aurelium, atque Antoninum Philoſophum diverſos ac diſtinctos fuiſſe Imperatores neſciebam. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ.

Hi autem liberti ingenuitatem adepti etiam in Tribus urbanas referebantur, ſed non ſtatim ac civitatem nacti erant, Tribus iis concedebatur: unde patet quanti id jus aureorum annulorum fuerit æſtimatum. Vid. Cujac. in Paratitl. ff. de jur. aur. ann. & lib. VII. Obſerv. cap. 14. ac Briſſon. in libr. ſingul. de adulter. pag. 223. & ſeq. Porro & id quoque per annulos conſecutos opinor libertos, quod his ornati, ac proinde libertate donati in militiam, a qua ſervi alias prohibebantur, poterant adſumi: de qua re vid. Lud. Vivem ad Auguſtin. de Civit. Dei lib. III. pag. 335. ubi etiam in fine paginæ & initio ſequentis quædam de jure annulorum collegit.

Ratio vero, cur per jus annulorum aureo-

a Flumen *b* illuc *c* latere *d* flumen * Eunoe flumen quod dextrorſum currit ſignificat bonam mentem Lethes vero currit ſiniſtrorſum & ſignificat oblivionem malorum .

e Pro animo *f* cupit *g* manifeſta *h* verbis *i* voluntas *k* Dantes *l* Stazi *m* Eunoe illius fluminis *n* indigens *o* ſummi boni . Ubi de ſummi bono tractatur .

p Poetice Eunoe . Nam vult quod poeme ſit ibi ſimplex & ſimplicitatematerie .

A fluvio [a] ſacro madidus lotuſque redivi,
Et reſocilatus totus ceu planta novella,
Quæ renovata viget vernans ex fronde moderne
Scandere diſpoſui ſincerus ad aſtra polorum.
Explicit hic purgatque cantica crimina ſede.

SIC
M D E R.

Del Paradiſo Canto I.

La gloria di colui, che tutto muove,
Per l' univerſo penetra, e riſplende
In una parte più, e meno altrove.
Nel Ciel, che più della ſua luce prende,
Fu' io, e vidi coſe, che ridire
Nè ſa, nè può qual di laſſù diſcende:
Perchè appreſſando ſe al ſuo deſire,
Noſtro intelletto ſi profonda tanto,
Che retro la memoria non può ire.
Veramente quant' io del regno ſanto
Nella mia mente potei far teſoro,
Sarà ora materia del mio canto.
O buono Apollo, all' ultimo lavoro
Fammi del tuo valor sì fatto vaſo,
Come dimanda dar l' amato alloro.
Inſino a quì l' un giogo di Parnaſo
Aſſai mi fu: ma or con amendue,
M' è uopo entrar nell' aringo rimaſo.

Entra

a Eunoe.
Hic utitur auctor occupatione & brevitate, & ſunt duo colores rethorici.

Entra nel petto mio, e ſpira tue,
    Sì come quando Marſia traeſti
    Della vagina delle membra ſue.
O divina virtù, ſe mi ti preſti
    Tanto, che l' ombra del beato regno
    Segnata nel mio capo io manifeſti;
Venir vedràmi al tuo diletto legno,
    E coronarmi allor di quelle foglie,
    Che la materia e tu mi farai degno.
Sì rade volte, padre ſe ne coglie,
    Per trionfare o Ceſare, o Poeta,
    [Colpa e vergogna dell' umane voglie:]
Che partorir letizia in ſu la lieta
    Delfica deità dovria la fronda
    Peneja, quando alcun di ſe aſſeta.

MS.p. 160. ,, Gloria ſumma Dei qui commovet omne
    per orbem [a]
,, Mirifice totum penetrat [b]. Sed fulget in una
,, Parte magis rutilans, alibi ſtat luce minore.
,, Quod capit in celo [c] plus luminis ipſius alto
,, Nempe fui vidi res & quas promere neſcit
,, Nec valet ille polo qui jam deſcendit ab illo.
,, Namque ſuo voto propiàtus noſter adherens
,, Senſus [d] abit tantum delapſus in intima facta.
,, Quod nequit ipſa ſequi ſenſum memoratio [e] noſtra [f]
,, De regione ſacra quantum vel cardine celi

Men-

a Auctor ponit & intelligit univerſum pro tota creatura.
b Penetrat uſque ad centrum terre ubi eſt infernus, ibi etiam eſt gloria Dei per juſtitiam nam dampnat reos. *c* Empireo.
d Intellectus *e* memoria.
f humana.

,, Mente [a] mea potui facere & cumulare thesaurum [b].
,, Nunc erit omne mei concepti tema canoris.
,, O bone materia [c] postreme partis [d] Apollo [e]
,, De pretio me tale tuo vas conde [f] valoris.
,, Quale licet laurum viridem cuicumque colenti [g]
,, Alter at usque locum [h] parnasi collis [i] ad istum
,, Sat fuit ipse mihi [k] sed nunc me prorsus oportet [l]
,, Collibus ambobus [m] spatium [n] quod restat in ire.
,, Pectus Apollo [o] meum subens spiramine tali
,, Marsia [p] jam corio fuit a te quale sonante
,, Constitit expositus membrorum quando suorum.
,, Te michi siderea o virtus concesseris illa
,, Tam quod imago tui regni sacrique beati
,, Sculta meo cerebro, per me probatur aperte.
,, Jam [q] tue laurus me tunc accedere cernes
,, Atque coronari foliis me cujus [r] agetis
,, Materies meritum quoque tu me frondibus illis.
,, O pater [s] he frondes [t] preclare leguntur

Cesa-

a in mente.
b Thesaurum componitur ex gemmis & auro.
c In materia *d* Paradisi cantice *e* Deus *f* fac *g* amanti
h Tertiam canticam *i* Citheron. Citheron est collis ubi celebatur Bacchus Deus partice.
k Ad tractandum de scienciis practicis & polliticis.
l Tractare de contemplativis *m* Citherone & Elycone.
n Materiam paradisi *o* Deus *p* vir ille. Marsia fuit unus ex satiris qui habebat caudam ad formam caude unius yrci. Et postquam invenit chelim & vitulam Palladis, incepit cum ipsa pulsare & tantum gloriabatur suo sono quod se jactavit prestantius modulari cum illa vitula, quam Apollo magni modulaminis cum sua cytara. Apollo vero indignatus hac falsa jactantia fecit eum excoriari. Marsia vero ex hoc tantum flevit quod conversus est in flumen quod dicitur Marsia; quere Ovidium. m.
q Ad pedes *r* lauri *s* Apollo *t* lauri.

,, Cesaris aut Vatis [a] celebris pro dote triumphi
,, Dedecus [b] ac hominum quoque crimen nutibus [c] orbum
,, Gignere letitias ylari deberet ab ipsa
,, Et deitate super delpha [d] peneya [e] laurus
,, Quando sitim cupidam de se progerminat uni . &c.

c.III.*v*.25. Non ti maravigliar, perch' io sorrida,
Mi disse ; appresso 'l tuo pueril quoto *,
Poi sopra 'l vero ancor lo piè non fida :

MS.p.165.,, Ne [f] mireris ait [g] quoniam surrideo discens
,, Judicium puerile tuum, firmataque cura [h]
,, Stare super vero [i] nundum fiduciat illud [k] .

c.VI.*v*.58. E quel che fe da Varo insino al Reno ,
Isara vide , ed Era , e vide Senna ,
Ed ogni valle , onde 'l Rodano è pieno .
Quel , che fe poich' egli uscì di Ravenna ,
E saltò , Rubicon * , fu di tal volo ,
Che nol seguiteria lingua nè penna .

MS.

a Imperatores & Poete lauro vel lauru coronabantur .
b Hic est appositio *c* voluntatibus . *d* Apollinea
e Hec dictio penneya est quattuor sillabarum quia y Grecum non potest fieri unquam consonans adjuncta vocali sicuti noster .
f tu D. *g* Beatrix *h* suas affectiones
i In veritate Beatricis *k* judicium puerile .

* *Questo* pueril quoto *nol dichiara la Crusca, come osservò il Tassoni nelle sue annotazioni MS. sull' edizione del* 1612. *di Bastiano de' Rossi detto l' Inferigno Segretario della Crusca. Nemmeno l' ha fatto nell' ultima edizione del* 1735. *Ma però prima della Crusca cioè nel* 1550. *lo spiegò Alberto Acarisio Centese nel suo vocabolario coll' esposizione di molti luoghi di Dante , del Petrarca , e del Boccaccio: così* . ,, Quoto è *quotus* latino cioè quanto in ordine , e perchè chi pone la cosa in qual ordine sia giudica ; per lo giudizio fu posto da Dante c. 3. Parad. *Non ti maraviglíar . &c.*

* *Termine anticamente della Gallia Cisalpina passato da Giulio Cesare senza deporre il comando dell' armi , contra i severi divieti della Repubblica Romana .*

*MS.pag.*171. A fluitante varo [a] renum [b] quod fecit [c] adusque
„ Isara [d] vidit arar [e] Secana [f] & videre. Sed omnis
„ Vallis aqua vidit rodanus [g] jam confluit unde [h]
„ Fecit iidem [i] quod ubi discessit urbe Ravenne
„ Et Rubiconis [k] aquam navit. Fuit ire repente
„ Tam quod lingua sequi non posset penne nec illud *

c.IX.v.133. Per questo l' Evangelio e i Dottor magni
Son derelitti, e solo a i decretali
Si studia sì, che pare a' lor vivagni.
*MS.p.*180. „ Hoc [l] evangelium doctores atque relicti
„ Magniloqui sunt solum decretalibus eris [m];
„ Speque studetur uti tunicis apparet eorum.

c.XI.v.I. O insensata cura de' mortali,
Quanto son difettivi sillogismi
Quei, che ti fanno in basso batter l' ali!
Chi dietro a jura, e chi ad aforismi
Sen' giva, e chi seguendo sacerdozio,
E chi regnar per forza, e per sofismi: &c.

MS.

a Fluvio. Hic Varus. ri. est flumen in fine Lombardie.
b Flumen. Hic Renus. ni. est flumen Alamanie. *c* fecit Cesar
d Fluvius. Hic Isara. re. est flumen Francie.
e Fluvius. Hic Arar indeclinabile nomen est fluvii.
f Fluvius. Hic Secana. ne. est quodam flumen Francie.
g Hic Rodanus. ni. est flumen Francie. *h* a qua valle *i* Cesar.
k Hic Rubicon. nis. est flumen Arimini.
l hanc rem floreni *m* gaze *n* in tunicis
* *Questa postilla è uniforme a quanto Vibio Sequestre scrive a Vigilanzio suo Figlio nel Dizionario geografico, ove de' fiumi dice.*
Rubicon Gallia juxta Ariminum
Olim dividens Galliam ab Italia.

*MS.p.*183.„ O[a] ſtupidas curas hominum conſiſtit in atris
„ His ſoloecsiſmis defectio quanta ſub imo
„ Qui faciunt agitare loco te triſtiter alas.
„ Hic [b] ſequitur nam jura [c] loquax, hic namve pho-
riſmos [d],
„ Eris & hic alius fieri ſpe clericus ambit,
„ Hic alius vacat ut vi ſive ſophiſmate regnet. &c.

c.XXII.v.110. Tu non avreſti in tanto tratto e meſſo
Nel fuoco il dito, in quant' io vidi 'l ſegno,
Che ſegue 'l Tauro, e fui dentro da eſſo.
O glorioſe ſtelle, o lume pregno
Di gran virtù, dal quale io riconoſco
Tutto [qual che ſi ſia] il mio ingegno:
Con voi naſceva, e s' aſcondeva voſco
Quegli, ch' è padre d' ogni mortal vita,
Quand' io ſentj da prima l' aer Toſco. &c.

*MS.p.*211.„Tam cito non digitum poſuiſſes ignis in ora,
„ Ac extraxiſſes quam ſignum [f] grande repente
„ Quod ſequitur Taurum predivi ipſumque [g] ſubivi
„ Sidera leta jubar [h] magna virtute [i] refertum [k]
„ Ingenium cepiſſe meum [l] a quo noſco vel ipſum

„ Sit

a In hoc cantico adhuc Sanctus Thomas proſequitur ſuum prologum manifeſtans Danti ſua dubia qui in tertio decimo cantico ſibi ſolvet. Et incipit per modum invective contra homines mundi.

b Homo *c* civilia & canonica ut fiat dives & felix.

d Medicinam ut fiat dives & felix *e* propter beneficia fiat dives & felix.

f Gemini. Hoc ſignum. *i.* gemini poteſt eſſe declinabile & indeclinabile. Si declinabile ſic dicatur pluraliter hi gemini genetivo geminorum &c. Si indeclinabile tantum prulariter hi gemini per omnes caſus. *g* geminos *h* que ſignnm geminorum facitis *i* mundo influenda *k* jubar ſignum gemini *l* a tuis influentiis tamquam a ſecundis cauſis cum Deus ſit prima cauſa.

„ Sit rude vel docile vel eorum ſive benignum ,
„ Sol bene vobiſcum latebras[a] & agebat & ortum[b] ;
„ Ille pater[c] vite moritur que[d] ſurgit & omnis
„ Cum genitus[e] ſenſi tunc primitus aera Tuſcum. &c.

c. IV. v. 91. Onde ti venne? ed io: la larga ploja
Dello Spirito Santo, ch'è diffuſa
In ſu le vecchie, e 'n ſu le nuove cuoja,
E' ſillogiſmo, che la mi ha conchiuſa
Acutamente, sì che 'n verſo d' ella,
Ogni dimoſtrazion mi pare ottuſa.

MS. p. 216. „ Advenit unde tibi[f]? dixi, latiſſimus imber
„ Flaminis hinc ſancti bene qui diffunditur omnis
„ Nempe ſuper cartas corii priſcaſque modernas[h],
„ Eſt ſilogiſmus idem mihi qui cluſit acute,
„ Tam quod eam verſus rem[i] demonſtratio vere
„ Nunc obtuſa michi quecumque videtur & atra.

c. XXVI. v. 70. E come al lume acuto ſi diſonna,
Per lo ſpirto viſivo, che ricorre
Allo ſplendor, che va di gonna in gonna,
E lo ſvegliato ciò che vede abborre,
Sì neſcia è la ſua ſubita vigilia,
Fin che la ſtimativa nol ſoccorre;

Così

a Sideribus que gemini facitis. *b* oriebatur & occidebat quia in ſigno gemini erat ſol. *c* Sol pater eſt ſed non animarum hominrm quia non moriuntur. Sol eſt generativus omnis vite que moritur & ſurgit ſed non eſt animarum hominum que ſunt immortales.

d Tunc Sol erat in ſigno geminorum quando Dantes fuit natus in Mundo. *e* ponit Tuſcum pro Florentia.

f Danti. *g* imber. *h* vetus teſtamentum & novum. *i* ſpiritus almi.

Così degli occhj miei ogni quisquilia
Fugò Beatrice, col raggio de' suoi,
Che risulgeva più di mille milia:

MS.p 220. Excitat [a] & veluti quod se se lumen acutum[b]
Spiritus ad lucem visivus [c] namque recurrit
De tunica in tunicam repetit qui[d] lumen ocelli.
Excitus a somno quod homo precernit abhorret[e]
Excubias [f] propter non notas tamque repentes
Subveniat donecque virtus extimat [g] illi. [h]
Expulit a nostris oculis [i] sic sacra Beatrix
Quisquilias [k] omnes cito cum ratione suorum[l]
Mille soli [m] stadia ultra qui spatiosa nitebant.

c.XXXIII.*v*.133. Qual' è il geometra, che tutto s'affige
Per misurar lo cerchio, e non ritrova,
Pensando, quel principio, ond' egli indige;

Tale

a Hic auctor facit pulcram comparationem dicens, quando homo expergiscitur & excitatur a sompno a quodam lumine acuto. *i.* magno excitatur quod percellit oculos suos propter spiritum visivum. *i.* virtutem visivam que naturaliter est in oculis. Ipse spiritus subito recurrit ad splendorem lucis que est medium quo oculus videt, splendor autem intrat in lucem oculorum que vocatur pupilla. De tunica in tunicam. Nam oculus est compositus ex septem tunicis, *i.* pelliculis. Et in medio illarum est quidam humor qui dicitur cristallinus, in quo stat virtus visiva inter pelliculam & pelliculam. Quare splendor apulsus penetrat videt lumen abhorret illud. *i.* timet quia non bene distinguit illud nec bene cognoscit illud donec virtus extimativa succurrat oculo que facit illum deliberare id quod acturus est vel velit stare apertus vel clausus. Sic facit Beatrix oculis Dantis. Expulit enim omnes quisquilias ab oculis ejus. Si quis viderit anothomiam me intelligit perfecte. &c.

b magnum *c* *i.*virtus visiva *d* s.spiritus *e* timet quia non distinguit lumen. *f* vigilias *g* extimativa. Extimativa non potest poni in metro. Ideo loco ejus posui verbum .1. extimat.

h Oculo *i* mei Dantis. *k* Postquam ablate fuerunt michi quisquilie. Hec quisquilia quisquilie inutilis materies que abraditur de lignis quando dolantur .1. dolatura pro astula. *l* Oculorum *m* terre.

Tale era io a quella vista nuova :
Veder voleva , come si convenne ;
L' imago al cerchio , e come vi s' indova :
Ma non eran da ciò le proprie penne :
Se non che la mia mente fu percossa
Da un folgor , in che sua voglia venne .
All' alta fantasia qui mancò possa :
Ma già volgeva il mio disiro e 'l velle ,
Si come ruota , che igualmente è mossa ,
L' amor , che muove 'l sole e l'altre stelle .

Il fine della Divina Commedia di Dante Alighieri .

MS.p.239.,,Qualis agit geometra, loco qui totus in uno
,, Figitur, ut ciclum metatur & annotet illum,
,, Principium neque cujus eget jam comperit ipsum ;
,, Talis eram nunc ipse [a] novum spectamen [b] ad illud
,, Visere qua cupiens compage jugatur imago [c]
,, Hec homines ciclo qui [d] numinis [e] atque locatur .
,, Sed proprie penne non tantum robur habebant;
,, Inde meam mentem fulgor percelluit [f] unus
,, Mens mea velle suum tunc plenum sumpsit in illo [g] .
,, Fantasia loco fugiens defecit in isto
,, Velle meum votumque meum sed jamque rotabat
,, Orbe rotam veluti motam compulsibus equis
,, Altus amor solem reliqua & qui commovet astra .

M 2. ,, Ex-

a Ego Dantes . Hic auctor fingit qualiter voluit videre quomodo humanitas conjungebatur cum divinitate : sed suus sensus non fuit ita acutus . Sed bene fatetur habuisse divinitus gratiam in hoc . Sed se excusat quod sua fantasia non potuit quod vidit sic retinere quod posset illud dicere aut scribere & sic concludit suum poema . Unde sic dicit per comparationem velle meum & votum meum scribendi & dicendi rem tantam rotabat altus amor &c.

b In tribus giris tricirculo stans *c* humanitas cum divinitate que conjungitur *d* qualiter *e* Dei *f* percussit *g* fulgore .

,, Explicit excelſæ paradiſi cantica ſacra .

,, Ut calamo parcam jubet hec imbellia cana ,
,, Ac mihi multiforis jam languor & ipſa voluptas
,, Que ruit ex animo quoniam ſubleſta ſeneſtus
,, Expulit a priſcis placidis etatibus illam .

Da alcuni verſi eſametri e pentrametri , che dalla ſteſſa mano traſcritti trovanſi nel principio di queſto Codice ſi rilevano l' anno , il meſe , ed il giorno in cui ſeguì la morte di Dante , e ſono li ſeguenti :

Infraſcripti ſunt verſus ſcripti in Civitate Ravenne ſupra ſepulchrum Dantis Alegherii hujus libri conditoris : & eſt ſituatum Ravenne apud Eccleſiam Sanƈti Viƈtalis Martyris .

,, Teologus Dantes nulliuſque dogmatis expers
,, Quod foveat claro philoſophia ſinu ,
,, Gloria muſarum vulgo gratiſſimus auƈtor
,, Hic jacet & fama pulſat utrumque polum,
,, Qui loca defunƈtis gladiis regnumque gemellis
,, Deſtribuit loycis reƈtoricìſque modis .
,, Paſqua pieriis demum reſonabat * amicis
,, Atropos heu letum livida rupit opus .
,, ** Hic ingrata tulit triſtem Florentia fruƈtum
,, Exilium vaƈti patria cruda ſuo .
,, Quem pia Guidonis gremio Ravenna Novelli
,, Gaudet honorati continuiſſe ducis .
,, Mille trecentenis ter ſeptem *** numerus annis
,, Ad ſua ſeptembris idibus aſtra redit .

Queſti

* *Avenis* Gio.Villani . ** *Huic* Gio.Villani, e Vendelin da Spira.
*** *Numinis* Gio. Villani . *Numerus* . Ed. Spira .

Questi stessi versi sono così stampati nella Vita di Dante scritta dal Boccaccio, e premessa all'edizione fatta in Venezia nel 1477. per Vendelin da Spira in fol. con le chiose di Benvenuto da Imola, e non come ha l'Edizione di Firenze quì sotto.

Aliud Epitaphium supra Dantis Sepulchrum.

„ Jura monarchie superos flegetonta lacusque
„ Lustrando cecini voluerunt fata quousque;
„ Sed quia pars cessit melioribus hospita castris,
„ Auctoremque suum petiit felicibus astris,
„ Hic claudor Dantes patriis extorris ab oris
„ Quem genuit parvi Florentia mater amoris.

Li sovraccennati versi elegiaci si leggono pur anche stampati, e con pochissimo divario nel capo CXXXIII. del libro IX. della Storia Universale di Giovanni Villani, ristampato e purgato da innumerabili errori nella grande Raccolta de gli Scrittori delle cose d'Italia del nostro celebre Muratori. Il quale intiero capo è stato di nuovo aggiunto in questa edizione cavato dal pregiatissimo Codice Ms. del Recanati N. U. Veneto, e porta questo titolo:

Del grande e Valente Poeta Dante Alighieri di Firenze, e come morì, e i versi iscritti al suo sepolcro fatti per lo Maestro Giovanni del Virgilio.

Giovan Villani prima di riferire gli accennati versi, dice, che Dante morì nel 1321. nel mese di Settembre nel dì di santa Croce, come appunto sta espresso ne' mentovati versi. Ma non concorda poi il Villani circa

il luogo della sepoltura, dicendo, che *Nell'anno* 1321. *del mese di Settembre il dì di santa Croce morì il grande, e valente Poeta Dante nella Città di Ravenna in Romagna essendo tornato d'Ambascieria da Vinegia in servigio de' Signori da Polenta, con cui dimorava. In Ravenna dinanzi alla porta della Chiesa de' Frati Minori fu seppellito a grande onore in abito di Poeta e di grande Filosofo in uno Monimento per lui fatto rilevato, il qual Monimento fu poi a certo tempo adornato d' alti e sottilissimi versi, i quali compose il grande e valente Poeta Maestro Giovanni del Virgilio di Bologna insculpiti in essa sepoltura* (e sono li trascritti di sopra) *e morì in exilio del comune di Firenze in età in circa di 56. anni ec.*

Anche il Boccaccio nell' Origine e Vita, negli studj e costumi del chiarissimo Dante Alighieri dell' edizione, che porta la data di Firenze dell' an. 1723. alla pag. 22. concorda bensì col Villani circa l' età di Dante, e nel giorno del mese; ma non già nell' anno, ove dice, che *essendo egli già nel mezzo, o presso del cinquantesimo sesto suo anno ..... del mese di Settembre negli anni della salutifera Incarnazione del nostro Signore Gesù Cristo* 1325. * *nel dì che l' Esaltazione della santa Croce si celebra dalla Chiesa non senza grandissimo dolore del sopraddetto Guido, e generalmente di tutti gli altri Cittadini Ravegnani .... fece il magnifico Cavaliere il morto corpo di Dante d' ornamenti poetici sopra a un funebre letto adornare, e quello fatto portare sopra gli omeri de' suoi Cittadini più sublimi insino al luogo de' Frati*

* „ Del mese di septēbre nel gli anni di Xpo MCCCXXI. nel dì chella „ exaltatione della sancta Croccie se cellebra dalla Chiesia „ Così ha la vita stampata pel suddetto Vendelin da Spira.

Frati Minori in Ravenna, con quell' onore, che a sì fatto corpo degno stimava, infino a quì quasi pubblico pianto seguitolo in un' arca lapidea, nella quale ancor vige, il fece porre.

Molti Poeti della Romagna per mostrare il suo valore in Poesia, sì la benevolenza che portavano al loro morto Poeta, sì per accatare la grazia, la benevolenza, ed amore del loro Signore, il quale sapevano ciò desiderare, ciascuno per se fece versi, i quali poi posti per epitafio alla sepoltura facessero con lodi dovute testimonianza chi dentro di essa giacesse, ed all' amorevole Signor Guido Novello li mandarono; al quale per aversa fortuna non molto dopo essendogli stato tolto lo stato finì di vivere in Bologna. Per la qual cosa a fare il sepolcro, ed al porvi i mandati versi si rimase &c. I quali versi capitati dipoi nelle mani del Boccaccio, e vedendo, che non avevano avuto il loro destino d' essere incisi sopra l' arca sepolcrale di Dante, e fatta scielta di quattordici di essi, che giudicò migliori degli altri, fatti, com' egli dice, da Maestro Giovanni del Virgilio Bolognese allora famoso e gran Poeta, e di Dante stato singolarissimo amico, i quali sono questi appresso scritti.

„ Theologus Dantes nullius dogmatis expers
„ Inclita fama cujus universum penetrat orbem
„ Dantes Alegherii florenti genitus urbe,
„ Conditor eloquii lumen decusque musarum
„ Vulnere sevæ necis stratus ad sydera tendens
„ Dominicis annis ter septem mille trecentis
„ Septembris idibus præsenti clauditur aula *
„ Jura Monarchiæ superos &c. „

M 4 Ma

* Questi sette versi mancano nella vita impressa pel detto Vendelin

Ma quì però si dee avvertire, che gli altri sei versi, che seguono, cominciando da quel *Jura Monarchiæ*, che il nostro Traduttore ha copiati come un altro Epitaffio a parte, ed inciso sopra l' arca sepolcrale di Dante, e che dal Boccacci nella vita di esso Dante vengono riferiti di seguito, ed in un solo contesto come opera del Maestro Giovanni del Virgilio, furono poi sino dell' anno 1481. fatti incidere da Bernardo Bembo padre del Cardinale Pietro Bembo allorchè era Pretore di Ravenna sotto l' effigie del Poeta, e come un Epigramma rimato dal medesimo Dante composto a se stesso mentre era ancora in vita; acciocchè poi sopra il suo sepolcro fosse con pietà scolpito.

Per concordar dunque il senso de' versi sopra riferiti colle parole della vita scritta dal Boccaccio, bisogna confessare; che vi sia un errore di stampa nel millesimo suddetto, e che in iscambio di 1325. leggere si debba 1321. anno preciso della morte di Dante, e non come dice lo stesso Boccaccio sul principio della citata vita. *Nacque questo singolare splendore Italico nella nostra Città vacante il Romano Imperio per la morte di Federigo già detto, negli anni della salutifera Incarnazione del Re dell' Universo 1265. sedendo Urbano IV. nella Cattedra di San Pietro &c.* Urbano IV. era già morto nell' Ottobre del 1264. e nel Febbrajo del 1265. fu creato Papa Clemente IV. ed essendo nato Dante nel mese di Maggio di quest' anno, ne viene per conseguenza, che aggiugnendo al 1265. li 56. anni della vita di Dante si fa per appunto l' anno preciso 1321. in cui accade la sua morte, secondo anche il sentimento dello stesso Boccacci, concordando ciò ancora cogli anni descritti in versi ne' sopra riferiti Epitaffj.

Que-

Questo sentimento del Villani, e del Boccacci viene medesimamente confermato da Benvenuto da Imola, che fioriva nel 1386. ne' Commentarj sopra la Commedia di Dante nel Canto XXX. vers. 135. del Paradiso a quel verso: *Prima che tu a queste nozze ceni*.

Et bene dicit antequam cenet ibi, quia præfatus Henricus mortuus est in MCCCXIII. *Augusti in Tuscia in castello quod dicitur* Buonconvento; *Auctor vero mortuus est in* MCCCXXI. *de mense Septembris in festo sanctæ Crucis in Civitate Ravennæ ubi sepultus est apud locum Fratrum Minorum in sepulcro magno cum tali Epitaphio quod fecit Johannes de Virgilio Bononiensis contemporaneus ejus & amicus*. E nel Canto XIV. del Purgatorio al verso 107.

La casa Traversara, e gli Anastagi

soggiunse *Non mirum ergo si Poeta nobilis delegit vivere, & mori in nobili Civitate hac, ubi jacet apud locum Minorum in tumulo valde gravi*.

Leonardo Bruni Aretino nella vita di Dante, dice, che: *Nacque Dante nelli anni Domini* 1265. *poco dopo la tornata de' Guelfi in Firenze stati in esilio per la sconfitta di Montaperti, e che morì Dante nelli anni* 1321. *in Ravenna*.

Fra i primi, che cominciò a discordare dagli autori più antichi, fu Cristofano Landini, e particolarmente nel mese, in cui accadde la morte del Poeta, scrivendo nella vita, che nacque egli *nell' anno* 1265. *sedendo Papa Clemente IV. .... Perchè passato Dante a Ravenna, e ricevuto con molte carezze da Guido Novello, che ivi era Signore, deliberò di abitare in quella Città, nella quale essendo di età di cinquanta sei anni si morì del* 1321. *del mese di Luglio &c.* Lo

Lo sbaglio, che quì è nella data del mese di Luglio, nasce probabilmente da un testo scorretto, che è nel libro IX. cap. CXXXV. della Storia di Giovanni Villani secondo l' edizione fatta in Firenze del 1559. da Filippo, e Jacopo Giunti, come rilevasi dalle varie lezioni di essa Storia ristampata in Milano, e che è inserita come si è detto nel Tomo XIII. della grande Raccolta degli Scrittori delle cose d' Italia. Comincia il capo CXXXV. che nella ristampa di Milano del 1728. è segnato sotto il numero CXXXIV. così:

Del Poeta Dante, e come morì.

Nel detto anno [1321] *del mese di Luglio sì morì Dante nella Città di Ravenna in Romagna, essendo tornato d'Ambascierìa da Vinegia in servigio de' Signori da Polenta, con cui dimorava, & in Ravenna dinanzi alla porta della Chiesa Maggiore fu seppellito a grande onore in abito di Poeta, e di grande Filosofo, morio in esilio del Comune di Firenze in età di circa cinquanta sei anni. Questo Dante fu honorevole antico cittadino di Firenze di Porta San Pietro, e il suo esilio di Firenze fu per cagione, che quando Messer Carlo di Valois della casa di Francia venne in Firenze l'anno* 1301. *e caccione la parte Bianca &c.*

Gli errori, che sono in questo testo consistono non solo nella data del mese di *Luglio* in vece di quello di *Settembre*, ma anche nel luogo della sepoltura *in Ravenna dinanzi alla porta della Chiesa Maggiore*, che sarebbe la Cattedrale dedicata alla Risurrezione di nostro Signore Gesù Cristo. Sono anco persuaso, che il nostro Frate Matteo Ronto Traduttore di Dante abbia anch' egli preso abbaglio nel porre il sepolcro di Dante,

col

col dire *& est situatum Ravennæ apud Ecclesiam S. Vitalis Martyris* . Quando tutti gli altri Scrittori contemporanei lo hanno situato avanti la Chiesa de' Frati Minori Francescani di Ravenna, Chiesa che è molto distante da quella di s. Vitale, e dal suo Monistero abitato da i Monaci Benedettini . Onde per correggere l' errore tanto del testo del Villani rispetto al vero luogo della sepoltura di Dante, secondo l' edizione de' Giunti ; quanto anche lo sbaglio del Ms. in cui l'Amanuense del Ronto doveva scrivere *in Ecclesia S. Francisci*, ovvero, *S. Petri Majoris*, che era il titolo della Chiesa, dov' è sepolto Dante, prima che essa fosse conceduta ai Frati Minori di San Francesco: E nel Testo del Villani *della Chiesa di San Pier Maggiore*.

Bernardino Daniello, celebre letterato Lucchese; e commentatore anch' egli di Dante, nella vita del Poeta, dice, che nacque di antichissima e nobilissima famiglia negli anni 1260. ingannato forse da qualche antica memoria, in cui dicevasi che la nascita di Dante era seguita poco dopo la tornata de' Guelfi nella Città di Firenze stati in esilio per la sconfitta di Montaperti, che secondo Giovanni Villani nel lib. VI. c. 79. della sua storia, seguì nel martedì 4. di Settembre del 1260. Che finalmente ridottosi a Ravenna con Guido da Polenta ivi finì la vita l' anno 1321. del mese di Luglio. Così pure ha la vita di Dante stampata in Lione presso Guglielmo Rovillio nel 1571. , e così leggesi in tutte le altre vite di Dante, che nella moltiplicità delle edizioni sono state copiate le une dalle altre .

Anche Girolamo Rossi nella rara edizione delle storie di Ravenna restò ingannato dal testo sopra riferito

S. V. F.

Jura Monarchie, superos Flegetonta lacusque Lustrando cecini &c.

Sta quel sepolcro dentro di un grand' arco o sia cappella, che dall' accennato Bernardo Bembo mentre pel Senato Veneto era colà Pretore nell' anno 1481. fu edificata, siccome dinotano i versi seguenti, che vi si leggono.

Exigua tumuli, Danthes, hic sorte jacebas
    Squalenti nulli cognite pene situ.
At nunc marmoreo subnixus conderis arcu,
    Omnibus & cultu splendidiore nites.
Nimirum Bembus Musis incensus Etruscis
    Hoc tibi quem in primis hæc coluere dedit.

Da tutto ciò, che sin quì si è riferito intorno l'anno, mese, e giorno della morte di Dante Alighieri, può raccogliersi, secondo quello, che ne ha scritto il Boccaccio nella stessa vita di Dante, e Giovanni Villani nel libro IX. cap. 134. della sua storia universale della più corretta edizione, ma sopra ogni altro l'argomento di maggior peso è quello, che cavasi dagli epitaffj fatti in versi latini da Maestro Giovanni del Virgilio Bolognese ad istanza di Guido Novello da Polenta Signore di Ravenna da fare incidere sopra il suo sepolcro. Vengono essi Epitaffj riferiti dal Boccaccio, dal Villani, e da Frate Matteo Ronto Traduttore della Divina Commedia di Dante in versi eroici latini, cioè secondo il Boccaccio

Dominicis annis ter septem mille trecentis
    Septembris idibus &c.

Ed

Ed il Villani col Ronto in versi esametri e pentametri latini.

Mille trecentenis ter septem Numinis annis
Ad sua septembris idibus astra redit.

A questi s' aggiunge Benvenuto da Imola sopraccitato, il quale dice, che essendo morto Dante nel 1321. a' tredici, o quattordici di Settembre in età di cinquanra sei anni in circa, ne segue che egli era nato del 1265. nel mese di Maggio, come rilevasi da que' versi del canto XXII. del Paradiso già accennati di sopra, e che quì di nuovo si trascrivono.

..... in quanto io vidi 'l segno,
Che segue 'l Tauro, e fui dentro da esso.
O gloriose stelle, o lume pregno
Di gran virtù, dal quale io riconosco
Tutto [quel che si sia] il mio ingegno:
Con voi nasceva, e s' ascondeva vosco
Quegli, ch' è padre d' ogni mortal vita,
Quand' io sentii da prima l' aer Tosco.

E però le autorità di tutti gli accennati soggetti, e come di Scrittori contemporanei si debbono anteporre in tutto e per tutto a quelle del Landino, Vellutello, Daniello, ed a chiunque altro ha scritto dopo di loro la vita del Poeta Dante, cioè che la sua morte seguì in Ravenna dell' anno 1321. a' 13. di Settembre in età di anni 56. in circa, e il suo cadavero fu seppellito in Ravenna nel dì 14. in cui dalla Chiesa si celebra l'esaltazione della santa Croce, avanti la Chiesa de'Frati Minori di s. Francesco, intitolata già col nome di s. Pietro Maggiore, o di Basilica Petriana, perchè fu eretta anticamente da San Pier Grisologo, come ce ne

ne assicura l'Agnello nel suo Pontificale della parte prima. Dove anche al presente esiste la cappella col sepolcro erettavi da Bernardo Bembo padre di Pietro Bembo Cardinale quando era colà del 1481. Podestà di Ravenna.

Null'altro più mi resta da aggiugnere se non il buon animo e 'l desiderio, che ho avuto nello stendere questa informazione per incontrare la sua sodisfazione, e di darle insieme sicurezza della stima, e del rispetto, col quale sono &c.

P.S. Nell'interior parte del cartone, con cui è legato il mio Dante con l'esposizioni di Cristoforo Landini, e d'Alessandro Vellutello, stampato in Venezia nel 1578. in foglio appresso Giovanbattista, e Marchiò Sessa e fratelli, vi si legge Ms. il seguente leggiadro Madrigale

Al Sepolcro di Dante.

Passaggier se non sai
Ch'io mi sia, te'l dirò: ferma le piante,
Quel sì famoso Dante
Son ch'all'Inferno, e al Purgatorio andai;
E al Paradiso ancora,
Quanto fui pazzo a non restarvi all'ora.

BAPTISMALE HIEROGLYPHICUM

EPISTOLICA DISSERTATIONE

EXPLANATUM,

CUI

ACCEDUNT NONNULLA VETUSTA DOCUMENTA AD BAPTISMUM QUOQUE SPECTANTIA.

DOCTISSIMO VIRO

P. PHILIPPO A VERONA

CAPPUCCINO

FRIDERICUS ALTHANUS

EX SALVAROLI COMITIBUS

FOROJULIENSIS

S. D.

SApientia tua dignæ sunt, Pater mi præstantissime, animadversiones tuæ in vetusta illa duo Calendaria, quæ opportunissime ad me misisti, ut in seriem ingerere ea possem aliorum, quæ prælo proxime subjicienda jamdudum comparavi. Utinam in promtu pariter haberem tractationem de vetustis Baptisteriis, quam, ut istic innui tibi, cum se mihi obtulisset occasio vetustissimum nostræ Aquilejensis Ecclesiæ Baptisterium illustrandi, suscepi: nam novo sine labore id tibi significarem, quod de Baptismali Hieroglyphico sentio, de quo nunc me sententiam

rogas. Quemadmodum enim ibi multæ se mihi symbolicæ exhibent explicandæ figuræ, quas sæpe antiquis in Baptisteriis cælatas est cernere; ita etiam de figura ista sermonem habendi exoritur occasio, cui dilucidandæ, utpote mysteriis, & significatibus plenæ, diu ibi, multumque immoror. Sed hujusce mei fœtus nonnisi prima lineamenta exaravi. Pro cujus complemento quum plura ex variis, dissitisque locis sint mihi colligenda, non ægre divinari potest, quam tarde, atque lente supremam huic operi manum sim ego impositurus. Eo tamen officio, ea sollicitudine ad morem tibi gerendum adigor, ut omni alio postposito negotio plurima cum animi propensione statuerim, quidquid in hanc rem hactenus collegi, illud omne per hanc Epistolam tibi prodere: nihilque eorum, quæ coram te promam, æstimatione dignum putabo, nisi quod eximio tuo placiturum erit ingenio. Ut ordinate autem, dilucideque procedam, revocanda primum per me tibi in mentem est ejus descriptio Hieroglyphici, cui explanando me stimulas, quodque etiamnum non existere doleo, quum Baptisterium, cui illud erat insculptum, infeliciter perierit, aut fato quodam, aut barbaræ facinore indolis, quæ etiamnum quorumdam animis insidet, ut in antiquitatis monumenta efferati debacchentur. Undecunque id evenerit, Hieroglyphica imago nostra est Piscis, qui mediis in aquis dorso Puerum defert.

Mul-

Multa esse te minime præterit atque varia symbola, quæ olim Dominum nostrum Jesum Christum mystice repræsentabant. Nam eum videmus nunc arboris, nunc grani sinapis, nunc vitis, quandoque Agricolæ, aliquando agri, sæpius vero Pastoris specie designari. Hoc autem postremum, quod ineffabile Redemptionis mysterium plane pleneque referat, adeo placuit, ut frequentissimus fuerit in Ecclesia mos, ita illum depingere. In omnibus fere musivis antiquorum Urbis templorum, ut tibi jam constat, imago cernitur boni Pastoris, quæ vetustis item in Cœmeteriis sæpissime inspicitur. *Hujus quidem generis imagines* boni videlicet Pastoris [Cardinalis Baronius inquit] *complures inspeximus in antiquissimo Priscillæ Cœmeterio Via Salaria, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, Urbe teste, atque admirante, effosso*. Tantumdem autem, si opus esset, dici de reliquis posset. Ipsis in publicis viis imago ista fuit antiquitus exposita. Nam eam, refert Eusebius [a], Constantini Magni Imperatoris jussu medio in Constantinopolitano Foro collocatam fuisse. Sed nusquam forte frequentius veteres Christiani eam incidi curarunt, quam in calicibus, quibus in sacra synaxi utebantur. Ejusce moris sæpe Tertullianus meminit. Idque non alia magis, puto, de causa faciebant, quam ut fidelium divina mysteria participantium mentes

a In vita Constan. lib. 3. cap. 48.

ad affectus teneritudinem, reciprocamque caritatem excitarent erga illum, qui se totum ipsis donavit; cujus divinam, infinitamque bonitatem satis vivide boni Pastoris imago sacris insculpta vasis præseferebat.

Similiter, nisi fallor, ut ardentius caritate ferverent, fideque altius efferrentur, qui baptizandi erant, in more positum est, ut antiquis in Baptisteriis imago piscis insculperetur, quo, tanquam symbolo, divinus Redemptor noster denotaretur. Imagine autem Piscis Christum Jesum significari plurium gravissimorum Ecclesiasticorum Scriptorum auctoritate abunde comprobatur. Tertullianus de Cajanis loquens [a] hæreticis, qui aquæ baptismum respuebant, eos aspidi, atque regulo serpentibus comparat, *qui arida, & inaquosa sectantur. Sed nos*, inquit *secundum* ΙΧΘΥΝ scilicet piscem *nostrum Jesum Christum, pisciculi in aqua nascimur.* Ratio vero cur Jesus Christus sit mysticus piscis, & piscis symbolo designetur, apud sanctum Augustinum [b] habetur, qui auctoritatem Sybillæ Erythrææ his verbis profert: *Erythræa Sybilla quædam de Christo manifesta conscripsit, quæ etiam nos in latina lingua... Nam vir clarissimus Flaccianus qui etiam Proconsul fuit Græcum nobis codicem obtulit carmina esse dicens Sybillæ Erythrææ, ubi ostendit quodam loco in capitibus versuum ordinem littera-*

a Lib. de Baptis. cap. 1.
b De Civit. Dei lib. 18. cap. 23.

rarum ita se habentem, ut hæc in eo verba legerentur Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ *quod est latine Jesus Christus Dei Filius Salvator. Horum autem græcorum quinque verborum, si primas litteras jungas, erit* ΙΧΘΥΣ *idest piscis, in quo nomine mystice intelligitur Christus, eo quod in hujus mortalitatis abysso velut in aquarum profunditate vivus, hoc est, sine peccato esse potuerit.* Sed ante Augustinum de hoc vocabulo, deque Sybillinis hisce versibus sermonem habuerat Constantinus Magnus apud Eusebium [a] *in oratione ad Sanctorum cætum* his verbis: *Divino quodam instinctu afflata* [Sybilla ista Erythræa] *versibus ea, quæ erant de Deo futura prædixit, notisque, & ordine primarum litterarum, quæ* ἀκροστιχὶς *dicitur, historiam de Jesu adventu declaravit.* Ἀκροστιχὶς *hæc quidem est* Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ σταυρός, *Jesus Christus Dei Filius Salvator, Crux.* Hujus Acrostichidis versus 34. adfert, juxta numerum litterarum ejusdem, quas, diphthongis in suas simplices litteras solutis, ego descripsi, ut ipsarum numerus appareat. S. Hieronymus item Christum Jesum piscis nomine ibi designat [b], ubi Bonosum commendans ait: *Bonosus tanquam* ΙΧΘΥΟΣ *filius aquosa petit.* Quod mysticum nomen explicans Optatus Milevitanus [c] hæc perspicua habet verba: *Hic est piscis, qui in Baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut quæ aqua fuerat, a pisce etiam piscina vocitetur.*

a Cap. 18. b Epist. 37. lib. 1. c lib. 3. in Parm.

Cujus piscis nomen secundum appellationem græcam in uno nomine per singulas litteras turbam Sanctorum nominum continet : ΙΧΘΥΝ, *enim latine est Jesus Christus Dei Filius Salvator .* Quod etiam hisce verbis S. Prosper [a] confirmat : *Satians ex se ipso in littore discipulos, & toti offerens se mundo* ΙΧΘΥΝ *namque latine piscem sacris litteris majores nostri interpretati sunt, hoc ex Sybillinis versibus colligentes, quod est Jesus Christus Dei Filius Salvator ; piscis in sua passione decoctus, cujus ex interioribus remediis quotidie illuminamur, & pascimur .* Eadem significatione [b] s. Paulinus Nolanus piscis vocem adhibuit inquiens : *Quos quinque panibus, & duobus piscibus panis ipse verus & aquæ vivæ piscis Christus explevit .* Honuphrius Panvinius verba in hanc rem faciens in suo de Sybillis libro, alia plura de hac significatione testimonia adducit, quæ prætermittenda existimo, quum ea, quæ hactenus collegi, satis superque videantur esse, ut piscis nomine, atque imagine Christum Jesum antiquis temporibus denotatum sæpissime fuisse monstretur.

Curabo quidem hic obiter, ut observes, adeo carum, acceptumque hunc Symbolum piscis veteribus Christianis fuisse, ut illud [Clemente Alexandrino [c] testante] gemmis ipsis annulorum, marmoribusque sepulchrorum suo-

a De præd. par. 2. cap. 39. b Epist. 33.
c Strom. lib. 6.

suorum inciderint. Unius ex istis meminit P. Mabillonius[a], in quo, ut ipse scribit, *sub Christi monogrammate sculptus est piscis Christum Salvatorem designans apud antiquos Patres.* Arringhius[b] porro enarrat, antiquis in sepulchris sæpius obviam esse Piscis figuram cum inscriptionibus insculptam. Immo in inscriptione quadam, quam celeber Senator Bonarrotius refert primum in Cœmeterio Sanctorum Gordiani, & Epimachi, deinde in insigni opere, *De' vetri cimiteriali*, pro pisce græci characteres ΙΧΘΥΣ habentur, qui latine idem significant ac piscis. Idem quoque eximius Bonarrotius[c] verba faciens de parvo quodam, sed antiquissimo vitro, quod ipse putat fragmentum esse poculi occasione nuptiarum elaborati, in quo effigies quoque cernitur junioris Tobiæ prægrandem piscem in flumine Tigri jussu Angeli capientis, admonet pisce illo mystice Christum Dominum significari, qui, sicut piscis ille Seniori Tobiæ, ita humano generi reddidit visum, adjungitque præterea nisus Arringhii auctoritate hujusmodi picturam Tobiæ apud antiquos valde consuetam fuisse Christianos. Hæc autem ejus interpretatio confirmatur tum ab Augustino dicente[d]: *Est enim Christus piscis ille, qui ad Tobiam ascendit de flumine vivus, cujus jecore &c.*: tum ab Optato

a Epist. de cultu Ss. Ignotorum. b Rom. sub. lib. 6. cap. 38. c Obser. sup. vitr. Cœmet. tab. 2. fig. 2.
d Serm. 4. de. Ss. Petro, & Paulo.

Optato Milevitano, qui lib. 3. contra Parm. ait: *Chriſtus intelligitur per piſcem, qui in lectione Patriarchæ legitur in Tigride flumine prehenſus, cujus fel, & jecur &c.* Ex quo, præterquamquod colligimus, hiſtoriam Tobiæ primis Eccleſiæ temporibus, & receptam, & in Sacrarum Scripturarum canone poſitam fuiſſe, conſtat inſuper, quæ fuerit antiquorum Chriſtianorum ſollicitudo, ac diligentia, frequenter, variiſque in locis ſub Symbolo piſcis myſtice Chriſtum Dominum repræſentandi.

Hinc male, puto, quiſpiam interpretaretur Hieroglyphici noſtri piſcem, ſi per illum quidpiam aliud ſignificari contenderet præter Chriſtum, qui tanquam myſticus piſcis homines de procelloſo ſæculi corrupti pelago tollit, & ſuo veluti dorſo impoſitos per baptiſmi aquas ad ſalutis portum perducit. Quoniam vero inæſtimabilis hujus beneficii memoria hujuſmodi ſymbolo in intuentium corde excitata ad ſpecialem grati animi ſenſum non elicere unumquemque non poterat erga divinum, amantiſſimumque Redemptorem: ideo illud in tot, tamque variis antiquitatis monumentis inſculptum videmus.

Etſi vero baptiſmus per plura ſæcula extra neceſſitatis caſum adultis atque ætate provectis datus fuerit, in dorſo tamen hujus myſtici piſcis jure, ac merito puerum inſidentem videmus, quia quicunque baptizabatur, quamvis

vis senior esset, veluti puer habebatur in nova spiritali vita, ad quam sacra renascebatur ablutione. Hinc Græci, cum sæpe soleant ad animi notiones transferre ea, quæ ad corpoream lucem exprimendam pertinent, baptismum idonea voce appellarunt φώτισμα, quæ vox cum derivetur a verbo φωτίζειν, quod idem est, ac illustrare, aut illuminare, illuminationem, aut illustrationem significat. Id autem satis apposite: nam sicuti qui ad hanc corpoream lucem enascitur, ab ea illustratur; ita qui ex peccatorum tenebris per lustrales aquas ad immortalem divinæ gratiæ lucem renascitur, ab eadem illuminatur: ideoque Catechumeni illi, qui proxime baptizandi erant, quos latini *Competentes*, & *Electos* dixere, aptiori voce φωτιζόμενοι fuerunt a Græcis appellati, hoc est proxime illuminandi. Omnia ista præclare admodum a Clemente Alexandrino [a] explicantur. En ipsa ejusdem verba: *Statim regenerati*, inquit, *recepimus perfectionem, cujus causa festinabamus...... Multis modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio*, φώτισμα *perfectum, & lavacrum, lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus, gratia autem, qua remittuntur penæ, quæ peccatis debentur: illuminatio autem, per quam sanctam illam, & salutarem lucem intuemur, hoc est per quam id, quod est divinum, acute perspicimus. Perfectum autem dicimus, cui nihil deest. Quid*

a Pædagog. lib. 1. cap. 6.

Quid enim ei desit, qui Deum novit? Hinc recens baptizati φωτίζοντες, scilicet illuminati apud Græcos appellati fuere, & aptiori adhuc vocabulo spiritalem eorum regenerationem significante, Νεόφυτοι, hoc est, recens nati dicti fuerunt. Infantes etiam vocat eos S. Augustinus [a], qui sic in rem hanc effatur: *Infantes isti, quos cernitis exterius dealbatos, interiusque mundatos, qui candore vestium splendorem mentium præfigurant &c.* Docti Patres Benedictini, quibus postremam debemus hujus Sancti Doctoris editionem, in eruditis, quibus eam adornarunt, adnotationibus animadvertunt, *infantes dictos fuisse novissime baptizatos etiam ætate majores*. Idem Augustinus *serm.* 228. *num.* 1. *Qui paulo ante vocabantur Competentes, modo vocantur infantes* ... Et momenta referens, cur vocitentur infantes, ita prosequitur: *Infantes dicuntur, quia modo nati sunt Christo qui prius nati fuerant sæculo*. Hoc quoque satis diserte nos edocet s. Zeno [b], qui tract. 38. ad Neophytos post baptismum sic ait: *Post devotissime completa expiationis sacræ casta jejunia, post clarissimæ noctis suo sole dulces vigilias, post lactei fontis lavacro vitali in spem immortalitatis animas pullulantes, ex quo qui eratis ætate diversi diversi natione subito germani fratres subito Unigeniti emersistis Infantes*. At quodnam firmius, quam Ecclesiæ Sanctæ testimonium adducere in hanc rem possum? Ea ipsa in Introitu Missæ Dominicæ

a Sermon. 223. *b* pag. 236. edit. Veronen.

nicæ *in Albis*, diei ſcilicet, quo recens baptizati albas veſtes in baptiſmo ſumptas deponebant, unde *Dominica in Albis*, nempe in veſtibus albis dicitur, eos Infantes pueros vocitat. En Apoſtoli Petri verba, quibus utens Eccleſia ipſos alloquitur: *Quaſi modo geniti Infantes, rationabiles ſine dolo lac concupiſcite &c.* Sed iſta de re ſatis. Nam ex dictis te plane intelligere exiſtimo, quam apte in Hieroglyphico noſtro puer fuerit repræſentatus, ut nuper baptizati deſignarentur, qui a Chriſto Jeſu ſub myſtici piſcis ſpecie de turbidis mundi aquis tolluntur, atque in tranquillam ſalutis, & gratiæ ſtationem transferuntur.

Tibi, doctiſſime Pater, qui plurimum in ſanctorum Patrum lectione verſatus es, ut ample inter alia plura teſtantur pulchræ adnotationes, quibus nitidiſſimam s. Hilarii ditaſti editionem, quæ paucis ante annis in patria urbe tua facta eſt, Tibi, inquam, res inſolens non videbitur; quod ego Mundum per aquas Hieroglyphici noſtri repræſentari opiner, quum optime ſcias variis ſub formis illum ab ipſis ſæpe depictum fuiſſe. Facile tibi veniet in mentem, Mundum a s. Ambroſio [a] aſſimilatum ſterili, incultoque deſerto, ab s. Bernardo [b] valli lacrymis exundanti fuiſſe: memineris etiam mare nuncupatum ab Auguſtino [c] dicente: *Eſt enim mare Mundus iſte*: ac præterea te legiſſe re-

a Lib. in Luc. cap. 29. *b* De Conſid. 5. pag. 451.
c Enar. in Pſal. 114.

recordaberis venustam, quam texit in hanc rem, allegoriam Joannes [a] Chrysostomus, qui *habemus*, inquit, *pro mari Mundum, pro navi Ecclesiam, pro velo pænitentiam, pro gubernaculo Crucem, pro Nauta Christum, pro vento Spiritum Sanctum*. Mari pariter, ut nosti, Mundum assimilavit Cassiodorus, qui Psalmum 44. exponens, causam comparationis istius sic adsignat: *Mari juste comparatur hic Mundus, qui falsitatibus amarus est, fluctibus Diabolicis quatitur, vitiorum tempestatibus commovetur*. Sed nimio te tædio afficerem, si tibi singillatim enumerare contenderem Patres omnes, atque Scriptores sacros, qui maris nomine Mundum significare consueverunt. Ii pauci sat sunt, quos nunc in memoriam revocavi, ut aperte monstretur etiam hac in parte non futili, sed solido niti fundamento interpretationem, quam de memorato Hieroglyphico nostro hactenus tibi adduxi, atque exposui.

Locus hic esset agendi de baptismalibus Pirani, & Glemonæ Hieroglyphicis ob summam, quam cum nostro habent similitudinem, quum exhibeant & ipsa piscem, qui dorso figuram portat juvenilem quidem sed adultam, & alatam, quæ piscem habenis regit, quas ipsa manu tenet, & quæ aptæ in ore quidem piscis Glemonæ, sed sub mento piscis Pirani cernuntur. Per adultas horum duorum Hieroglyphicis-

a Sup. Macch.

roglyphicorum figuras oſtendere forte voluere veteres myſticum piſcem, nempe Chriſtum Jeſum ſuo deferre dorſo non modò Infantes, nempe nuper baptizatos, ut in Hieroglyphico noſtro remur, verum etiam adultos, nimirum fideles omnes, quos ille mediis de ſæculi aquis aufert, & ad ſalutem devehit juxta Prophetæ [a] eloquium, *Uſque ad ſenectam ego ipſe, & uſque ad canos ego portabo*, ſine ulla tamen liberi arbitrii noxa: hujus rei forte indicium ſunt habenæ, quibus ſe myſticus piſcis accomodat. Quiſpiam etiam fortaſſe dicet, habenis, quibus myſticus iſte piſcis oſtenditur, ſinere ſe dirigi, voluiſſe humiliationem divini Verbi ſignificari, quod quamquam divinitate ſua minime ſit habenarum, aut alieni imperii ferendi capax, ut piſces procul dubio ſunt habenarum, & alieni regiminis incapaces: attamen quandoquidem homines ſua libertate abuſi peccandoDeum ipſum vilem ad ſerviendi conditionem redegerunt juxta Prophetæ dictum [b]: *Servire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis*; ipſe ſumma ſua caritate adductus formam viſibilem ſervi accepit, ſeque alienis habenis, atque imperiis ſubmiſit obediens uſque ad mortem, ut dein per baptiſmales aquas merita exinanitionis ſuæ cum hominibus in profundo prævaricationum ſuarum naufragis communicaret, & eo pacto ex abyſſo perditionis ad portum ſalutis deferret, ſeque

a Iſaias 46 4. b Iſa. 43. 24.

seque Prophetæ [a] verbis quodam modo jactaret: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas*. Aut uti alibi idem Propheta [b] personam Redemptoris agens fuit eloquutus: *Ego feci, & ego feram: ego portabo, & salvabo*: Sicque in cujusque baptismo per Hieroglyphicum nostrum id monstretur adimpleri, quod historice quoad figuram, prophetice vero quoad Christum figuratum, atque in baptismo spiritaliter operantem dictum est in libro Sapientiæ [c]: *Transtulit illos per mare Rubrum, & transvexit illos per aquam nimiam*: & id item, quod de Mundo toto s. Gregorius [d] Nazianzenus dixit agens de Baptismo, quo Christus in Jordane fuit a Johanne baptizatus: *Ascendit Jesus de aqua secum quodammodo demersum educens, atque elevans Mundum*.

Sed si fuse, ac plene vellem tecum de duobus Hieroglyphicis istis agere, manum in alienam messem mitterem, quum sciamus pereruditum Glemonæ Archipresbyterum Joseph Binium munus sibi assumpsisse illud Hieroglyphicum illustrandi, quod in sua extat Ecclesia, atque hinc propter utriusque similitudinem etiam illud; quod in Ecclesia Pirani existit. Ipse excellenti ingenio, eximia doctrina, & multiplici eruditione ornatus nil super hac re desiderandum sinet; propterea que non cupere non possumus, ut cito in lucem nobile hoc

a If. v. 25. *b* Idem 46. 4. *c* Sap. 10. 18.
d Orat. in Sanct. Lumina.

hoc opus prodeat. Attamen facere non possum, quin hoc loco lepidam referam tibi interpretationem, quam de Hieroglyphico [a] Pirani Riccardus Pococke celeber Litteratus Anglus in insigni suorum itinerum opere nobis adfert. En verba ipsa, quibus eam prodidit: In the church of Pirano the font is an antient vase with a relief on it of a Cupid on a delphin: They conjecture that the town Wasbuilt after the time af Attilia. Quod latine redditum significat, in Ecclesia Pirani fontem esse vas antiquum anaglypticum quodam cum Cupidine piscis dorso insidente: conjectare possumus, urbem post Attilæ tempora conditam fuisse.

Sed quoniam hactenus in materie ad baptismum spectante versati sumus, patere, quæso, ut hic tandem monumentorum quorundam ad Sacramentum illud spectantium tibi munusculum exhibeam, quæ, tum quod sunt inedita, tum quod aliquam non spernendam contineant notitiam, firmiter confido esse tibi & placitura, & comiter excipienda. Horum primum est inscriptio quædam, quæ Venetiis in vetusto quodam Baptisterio legitur, quod in venerandi tui Ordinis cænobio existit: dein duo antiqui baptizandi ordines juxta ritum nostrum Aquilejensem, qui Patriarchinus dicitur, quorum alterum fuit per me transcriptum ex quodam Ms. Missali Aquilejensi; alterum vero ex quodam itidem Ms. & Aquilejensi-

a Volum. 2. Part. 2. cap. 12. pag. 262.

Rituali. Ambo isti Liturgici libri sæculo decimo quarto exarati fuere, nunc vero in potestate sunt Comitum Zoppolensium, qui speciali humanitate mecum eos communicarunt. Non multos ante menses exercitationis gratia super ipsis adnotationes conscripsi, quas tibi transmittere audeo, cum ab his illi quoquo modo illustrari videantur, ac simul, semperque magis vetustissima confirmetur antiquitas cæremoniarum, quibus in baptismi administratione utitur sancta Catholica Romana Ecclesia.

Dum autem ea monumenta esse inedita affirmo, id animadvertas velim, me inter inedita omnes haud recensere orationes, quæ in paulo ante memoratis ordinibus continentur, cum mihi sit plane compertum, quamplures ex istis a Martene [a], ac in Aquilejensi Rituali an. 1575. Venetiis edito vulgatas fuisse, verum, quum nostri ordines nonnulla novitatis speciem præseferentia exhibeant, idcirco illos hic in medium proferre supervacaneum esse non duximus.

Ab antiqui Baptisterii prædicti inscriptione incipiam, quam dolendum profecto est, totam legi non posse, quod pars marmoris, cui insculpta est, intra parietis cujusdam molem compacta est, & abscondita. Partis ejus, quæ foris prostat, ista sunt verba:

... Hæc fons nempe sumit infirmos, ut red-
„ dat illuminatos

... Hic

a Tom. I. pag. 42. edit. Antuerp.

... Hic expians scelera sua quod de primo sumpserunt parente

... Ut efficiantur Christicolæ ... Reliqua sunt intra parietem operta.

In alia quadam ejusdem Baptisterii parte habentur hæc mutilata verba

... J . . . ptistæ, ut intercedat pro eo

... ntuloque suo.

Illud ego opinor, subesse parieti nomen ejus, qui sumptu suo condi hoc jussit Baptisterium, s.Johanni Baptistæ inscriptum, ut hic pro illo, ac illius filiolo de hoc sacro fonte sublato dignetur preces ad Deum mittere: *Pro eo, infantuloque suo*.

Quos innui tibi duos ordines, sive Ritus baptizandi, eos hoc loco subjicio, prout in duobus memoratis Missali, & Rituali descripti jacent.

INCIPIT ORDO AD CATECHIZANDUM INFANTEM.[a]

IN primis interroget Sacerdos. Quid venis ad Ecclesiam quærere? ℟. Fidem Christi. Fides quod tibi præstat? ℟. Vitam æternam.

...au

[a] Qui olim baptizandi erant, priusquam baptismalibus aquis lustrarentur, Catechesi imbuebantur. Hi ex græco verbo κατηχεῖν, idest sonare, figurate sumpto, κατηχούμενοι, scilicet quibus aliquid insonatur, qui erudiuntur, dicti fuere. Multiplices inerant Catechumenorum ordines. Alter eorum, qui Christianæ Religionis desiderio flagrantes ab Idolorum cultu abhorrebant: *Auditores*, *ac Audientes* vocantur isti a Tertulliano lib. de pæn. cap. 6. & 7. atque a s. Cypriano; quod scripturarum lectiones una cum Fidelibus audirent. Alter eorum, qui participes, consortesque facti orationum, ac exorcismorum, qui super catechumenos fundebantur, in genua ipsa in Ecclesia procumbebant, unde *Orantes*, vel *genuflectentes* appellati. Meminit catechumenos Genuflectentes Can. 5. Neocæsariensis. Tertia vero classis ex *Competentibus*, vel *electis* constabat, videlicet ex illis, qui, ut ait s. Isidorus, *imbuebantur instructione Fidei, & Sacramentorum. Istis enim*, pergit ipse, *salutare Symbolum traditur &c.* Competentes Græci φωτιζομένους, reliquos generatim catechumenos vocitarunt. Cum apud eos Ἀκροώμενοι, sive *Auditores* occurrunt, minime sunt illi pro catechumenis accipiendi, verum pro pænitentibus illi adscriptis classi, quæ *Auditio* a Latinis, a Græcis vero Ἀκρόασις dicitur. Variæ secundum tempora, ac classes istorum erant institutiones. Quales fuerint, præsertim D. Augustinus de Catechiz. Rudib. de symb. ad comp. ac s. Cyrillus Hierosol. Catech. Mystag., ostendunt. Hinc istis ex Catechesibus, quibus Catechumeni, vel baptizandi olim instituebantur, hodierni Catechismi, qui inter baptismi Cæremonias reponitur, origo dimanat.

... autem vita æterna. Audi Israel Dominum Deum tuum. Deus unus est. Diliges Dominum Deum tuum sicut te ipsum, & quod tibi non vis aliis ne feceris. Et quid vis fieri? ℟. Christianus. Respuis in Diabolum, & omnibus operibus ejus? ℟. Respuo. Memor esto sermonibus tuis, ut a te nunquam recedant. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. *Tunc insufflet in eum ter dicens.* Exsufflo te, maligne Spiritus, ab hoc plasmate Dei, ut exeas, & recedas ab eo. Exi ab eo spiritus immunde, & da locum Spiritui sancto.

Tunc aspiret ter in faciem ejus & dicat: Accipe Spiritum Sanctum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Signum Sanctæ Crucis Domini Nostri in fronte tuo pono. *Et signa Crucem in pectore ejus, & dic:* Accipe signum Crucis tam [a] in fronte, quam in corde sume fidem cælestium præceptorum, talis esto moribus, ut templum Dei esse jam possis, ingressusque Ecclesiam Dei, evasisse te laqueos mortis lætus agnosce, horresce Idola, respue simulacra, cole Deum Patrem omnipotentem, & Iesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. Qui cum eo, & Spi-

[a] Primævis Ecclesiæ sæculis per signum Crucis in Catechumenatum aditus patebat. Divus Augustinus hunc pervetustum ritum apertis verbis ostendit in serm. ad Catech. *Dum*, inquit ille, *per sacratissimum signum vos suscepit in utero sancta mater Ecclesia, quæ sicut, & fratres vestros cum summa lætitia spiritaliter pariet &c.*

ritu Sancto vivit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus Pater Domini Nostri Jesu Christi respicere dignare super hunc famulum tuum N., quem ad rudimenta Fidei vecare dignatus es, omnem cæcitatem cordis ab eo repelle. Disrumpe omnes laqueos Sathanæ, quibus fuerat alligatus. Aperi ei Domine januam pietatis tuæ, ut signo sapientiæ tuæ imbutus omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deserviat, & proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui percepta medicina. Per Dominum &c.

Oratio.

Preces nostras Populi tui, quæsumus Domine, clementer exaudi, & hunc electum tuum N. Crucis Dominicæ, cujus eum impressione signamus, virtute custodi, ut magnitudinis gloriæ tuæ servans per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gratiam pervenire mereatur. Per Dominum &c.

Alia Oratio.

Deus, qui humani generis ita es conditor, ut sis etiam reformator, propitiare Populis adoptivis, & novo testamento sobolem novæ prolis ascribe: ut filii promissionis, quod non potue-

tuerunt assequi per naturam, gaudeant se recepisse per gratiam. Per Dominum &c.

Benedicat Sal.

Exorcizo te creatura Salis in nomine Dei Patris omnipotentis, & in caritate Domini nostri Jesu Christi, & in virtute Spiritus sancti. Exorcizo te per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari praecepit: ut in nomine sanctæ Trinitatis efficiaris salutare sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices, & benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in visceribus eorum in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem.

Postea pones Salem in ore, & dic.

Accipe [a] salem sapientiæ, ut Dominus sit tibi propitiatus in vitam æternam. Amen.

Super utrumque.

Deus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor creaturæ, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. respicere digneris pro-

[a] Sal erat præcipuum Catechumenorum Sacramentum. Hoc diserte nos edocet Concilium Carthaginense Tert. Can. 5. ubi ait: *Placuit, ut etiam per solemnissimos Paschales dies Sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum sal. Quia si Fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec catechumenis oportet mutari.*

pitius, ut hoc primum pabulum ſalis guſtantem non diutius eſurire permittas, quo minus cibo expleatur cæleſti, quatenus ſit ſemper ſpe fervens, ſpe gaudens tuo ſemper nomini ſerviens: perduc eum ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Dominum &c.

Super Maſculum.

Deus Abraam, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus qui Moyſi famulo tuo in monte Sinai apparuiſti, & Filios Iſrael de terra Ægypti eduxiſti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui cuſtodiret eos die, ac nocte: te quæſumus Domine, ut mittere digneris ſanctum Angelum tuum, ut ſimiliter cuſtodiat & hunc famulum tuum N. & perducat eum ad gratiam Baptiſmi tui. Per Dominum &c.

Bis ſuper Maſculum, ter ſuper Fœminam.

Ergo maledicte Diabole recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo vivo, & vero, da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus, & Spiritui ſancto, & recede ab hoc Famulo Dei N. quia illum Deus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, fontemque Baptiſmatis dono vocare dignatus eſt, & hoc ſignum ſanctæ Crucis, quod nos fronti ejus damus, tu, maledicte Diabole, nunquam audeas violare.

Super..

Super Masculum [a].

Deus immortale præsidium omniumque postulantium libatio supplicum, pax rogantium, vita credentium, resurrectio mortuorum, te invoco, Domine, super hunc famulum tuum N. qui Baptismi tui donum petens, æternam consequi gratiam spiritualem regenerationem desiderat. Accipe eum, Domine, & quia dignatus es dicere: Petite, & accipietis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis, petenti itaque præmium porrige, & januam pande pulsanti, ut æternam celestis lavacri benedictionem consecutus promissa tui muneris regna percipiat. Per Dominum &c.

Super Masculum.

Audi maledicte Sathana adjuratus per nomen æterni Dei, & Salvatoris nostri Filii ejus cum tua victa invidia tremens, gemensque discede, nihil tibi sit commune cum servo Dei jam cæleftia cogitante, renuntiaturo tibi, ac sæculo tuo, & beatæ immortalitati victuro. Da igitur honorem advenienti Spiritui Sancto, & ex summa cæli arce descendens perturbatis fraudibus tuis purgatum divino fonte pectus, idest sanctificatus Deo, templum & aptum perficiat & ab omnibus noxiis præteritorum criminum liberatus servus Dei, gratias Deo referat semper, &

a Hasce multiplices *Orationes super masculum, & fœminam* profectas arbitror ex scrutiniis, quæ ad catechumenorum institutionem Quadragesimali tempore habebantur, ubi quum a fœminis viri sejungerentur, idcirco seorsum super utrosque preces fundendi mos erat.

& benedicat nomen ejus ſemper in ſæcula ſæculorum. Amen.

Super Maſculum.

Exorcizo te immunde Spiritus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. Ipſe enim tibi imperat maledicte dampnate, qui pedibus ſuper mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit. Per Dominum &c.

Ergo maledicte &c. *Ad utrumque.*

Æternam, ac juſtiſſimam pie atem tuam deprecor Domine ſancte Pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis, & veritatis, ſuper hunc famulum tuum N. ut digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ, munda eum, & ſanctifica eum. Da ei ſcientiam veram, ut dignus efficiat accedere ad gratiam Baptiſmi tui, teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, ut aptus ſit ad percipiendam gratiam Baptiſmi tui. Per Dominum &c.

Super Fœminam.

Deus Cæli, Dominus teræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apoſtolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum. Deus omnium bene viventium, Deus cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, te invoco, Domine, ſuper hanc Famulam tuam N. ut perducere eam digneris ad gratiam Baptiſmi tui. Per Dominum &c.

Er-

Ergo maledicte. *Super Fæminam*.

Deus Abraam, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Tribus Israel Ægyptia servitute liberasti per Moysen Famulum tuum de custodia mandatorum tuorum in deserto monuisti, & Susannam de falso crimine liberasti: Te supplex deprecor, Domine, ut liberes & hanc Famulam tuam N. & perducere eam digneris ad gratiam Baptismi tui. Per Dominum &c.

Ergo maledicte. *Super Fæminam*.

Exorcizo te, immunde Spiritus, per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ut exeas, & recedas ab hac Famula Dei N. Ipse enim tibi imperat, maledicte dampnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento suscitavit. Per Dominum &c.

Ergo maledicte. *Super utrunque*.

Nec te latet, Sathana, imminere tibi diem judicii, diem supplicii sempiterni, diem, qui venturus ast, velut Clibanus ardens, in quo tibi, atque universis Angelis tuis æternus superveniat interitus pro tua nequitia damnate, atque damnande da honorem Deo vivo, da honorem Jesu Christo Filio ejus, & Spiritui Sancto, in cujus nomine, atque virtute præcipio tibi quicunque es Spiritus immunde, ut exeas, & recedas ab hoc Famulo Dei N. quia hodie idem Deus & Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, & benedictionem, fontemque Baptismatis dono vocare dignatus

gnatus eſt, ut fiat ei templum per aquam regenerationis in remiſſionem omnium peccatorum: in nomine ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſeculum per ignem. Amen.

Hic tangat ei aures, & nares de ſputo ſuo ita dicendo.

Effeta, quod eſt adaperire in odorem ſuavitatis. Tu autem effugare Diabole, appropinquabit enim judicium Dei. Amen. Pax tibi. ℞. Et cum ſpiritu tuo.

Secundum Matthæum. In illo tempore oblati ſunt Jeſu parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Diſcipuli autem ejus increpabant eos. Jeſus vero ait illis. Sinite, & nolite prohibere eos ad me venire, talium eſt enim regnum cælorum. Et cum impoſuiſſet eis manus abiit inde.

Deinde Pater noſter. Credo in Deum. Benedictio Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper te, & maneat ſemper.

Ingredere in templum Dei, ut habeas vitam æternam. Amen. Abrenuntias Sathanæ? ℞. Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus? ℞. Abrenuntio.

Tunc linias eum de Oleo in pectore, & inter ſcapulas. Ego linio te oleo ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro, ut habeas vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Credis in Deum Patrem omnipotentem crea-

creatorem Cæli, & terræ ? ℟. Credo. Credis in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum natum, & passum ? ℟. Credo. Credis in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem, carnis resurectionem, vitam æternam ? ℟. Credo. Quid petis ? ℟. Baptismum. Vis baptizari ? ℟. Volo. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Postea linias eum in capite de Crisma. Deus omnipotens Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat Crismate salutis in Christo Jesu Domino nostro propitiatus in vitam æternam. Amen.

Hanc vestem custodi sanctam, & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, habeasque vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. Amen.

Deus vera lux hominum Jesu Christe fons luminis, qui hunc servum illuminas de proprio fulgore, tua misericordia signet, & benedicat. Amen.

Accipe lampadam accensam irreprehensibilem, custodi baptismum tum, ut cum Dominus venerit ad nuptias possis ei occurrere obviam una cum Sanctis aula celesti, habeasque vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. Amen.

ORDO

ORDO
AD BAPTIZANDUM PUERUM.

P*Rimo interroget Sacerdos de nomine infantis Patrinum* [a], *& dicat*. N. Quid petis ab Ecclesia Dei? ℟. Fidem. Fides quid tibi præstat? ℟. Vitam æternam. *Interroget*. Vitam æternam quis est tibi daturus? ℟. Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi. *Interroget*. Abrenuntias Sathanæ? ℟. Abrenuntio. [b] *Interroget*. Et omnibus pompis ejus? ℟. Abrenuntio.

a Qui Patrini, ac Santuli hic nuncupantur, olim modo *sponsores*, ut a Tertulliano lib. de Bapt. cap. 18., modo *Fideijussores*, vel *Fideidictores*, tanquam qui de Fide, ac sufficienti instructione catechumenorum fidem darent, ac sponderent, modo vero *Offerentes*, vel *susceptores*, eo quod catechumenos ad baptismum offerrent, illosve baptismalibus ex aquis susciperent, appellati fuere. In perantiquo Romano ordine post datum Baptismum subjungitur: *& sint parati, qui eos suscepturi sunt cum linteis in manibus eorum*. Cumque frequens esset adultorum Baptismus, ac toti pene nudi aquis baptismatis immergerentur, etiam plerumque viri viros, & mulieres fœminas de Baptismo suscipiebant, ut colligere par est ex vetusto Apostolicarum Constitutionum Auctore lib. 3. cap. 16. ubi ait: *Virum quidem suscipiat Diaconus, mulierem vero Diaconissa, ut honeste &c.*

b Maxima antiquitate præstat ritus, quo ante Baptismum Catechumeni renuntiabant Diabolo, & pompis ejus. Hunc meminit Tertullianus, qui floruit labente II. sæculo in lib. de Coron. Milit. Basilius vero lib. de Spirit. Sanct. cap. 27. morem illum ex traditione ad nos dimanasse pronuntiat: *Ter immergi hominem*, ait ille, *unde est traditum? Reliqua item, quæ fiunt in Baptismo, veluti renuntiare Sathanæ, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex privata, & arcana traditione?*

tio. *Interroget*. Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.

Tunc Sacerdos exsufflet in modum Crucis in faciem ejus dicens: Exsufflo [a] te immunde Spiritus. In nomine Patris † & Filii † & Spiritus Sancti †. Amen. Exi Satanas, & recede ab hoc famulo Dei, & da honorem Deo vivo & vero. Fuge immunde Spiritus, & da locum Jesu Christo Filio ejus, & Spiritui Sancto Paracleto.

Et signando eum fronte dicat. Signum Sanctæ Cru † cis Christi in fronte tuo pono. *Item in pectore*: Signum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in pectus tuum pono. *Sequitur Crucem producendo a fronte usque ad pectus*.

Accipe signum sanctæ Crucis Christi tam in fronte, quam in corde. Sume scutum fidei cælestium præceptorum. Talis esto moribus, ut templum Dei esse jam possis. Ingressusque Ecclesiam Dei evasisse te laqueos mortis lætus agnosce. Horresce idola, respue simulacra, cole Deum Patrem omnipotentem, & Jesum Christum Filium ejus, qui cum Deo Patre vivit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oratio.

Te deprecor Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, ut huic famulo tuo N. qui in sæculi hujus nocte vagatur incertus, & du-

a Exorcismos, & exsufflationes etiam super infantes baptizandos suo tempore dici solitos fuisse testatur D. Augustinus epist. 194. n. 43. & n. 46. edit. Paris.

dubius viam veritatis, & agnitionis tuæ jubeas demonſtrari: quatenus reſeratis oculis cordis ſui te unum Deum Patrem omnipotentem in Filio, & Filium cum Spiritu Sancto in Patre recognoſcat. Atque hujus confeſſionis fructum hic, & in futuro ſæculo percipere mereatur. Per eundem Dominum.

Interroget nomen Infantis. Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli, & terræ? ℟. Credo. *Interroget.* Credis & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum natum & paſſum? ℟. Credo. *Interroget.* Credis & in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam. Amen? ℟. Credo.

Et ſequitur Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N., quem ad rudimenta Fidei dono vocare dignatus es, omnemque cæcitatem cordis ab eo expellere vitiorum omnes laqueos Sathanæ, quibus fuerit colligatus. Aperi ei Domine januam pietatis tuæ, ut ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, & ad ſuavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Eccleſia tua deſerviat, & proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptiſmi tui percepta medicina. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Iterum

Iterum ſignet eum dicendo .

Preces noſtras , quæſumus Domine , clementer exaudi ; & hunc electum N. cujus Crucis impreſſione ſignamus tua virtute cuſtodi . Et magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta ſervans per cuſtodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur . Per Chriſtum Dominum noſtrum . ℟. Amen .

Oratio .

Deus, qui humani generis ita es conditor, ut ſis etiam reformator , propitiare populo tuo adoptivo , & novo teſtamento ſobolem novæ prolis aſcribe : ut filii promiſſionis tuæ , quod non poterunt aſſequi per naturam gaudeant ſe recepiſſe per gratiam . Per Dominum noſtrum . ℟. Amen .

Tunc Sacerdos accipiat de ſale benedicto , & ponat in ore infantis dicendo . N. Accipe ſalem ſapientiæ , qui propitiatus ſit tibi in vitam æternam . ℟. Amen .

℣. Pax tibi . ℟. Et cum ſpiritu tuo .

Oremus *Oratio .*

Deus Patrum noſtrorum , Deus univerſæ conditor veritatis , te ſupplices deprecamur , ut hunc famulum tuum N. reſpicere digneris propitius , ut hoc primum pabulum ſalis guſtantem non diutius eſurire permittas , quo minus cibo expleatur cæleſti : quatenus ſit ſemper ſpiritu Domini fervens , ſpe gaudens , tuo nomini ſemper ſerviens , & perduc eum ad novæ regenerationis lavacrum , ut cum fideli-

bus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Et tenendo manus ſuper caput pueri dicat ſimul cum famulo. Pater noſter, qui es in Cælis, ſanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tum, fiat voluntas tua, ſicut in Cælo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra, ſicut nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos a malo. Amen.

Symbolum.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem Cæli,& terræ;& in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit a mortuis, aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Patris omnipotentis; inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, & Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, Remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam. Amen.

Interroget nomen Infantis, dans ſtolam in manu Santuli extra portam exiſtens, & cum Infante eum introducendo in Eccleſia dicens:

Ingredere in templum Domini Dei tui, ut merearis videre Filium Dei, habeaſque partem

tem cum sanctis, & electis ejus in vitam æternam. ℞. Amen. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Tunc [a] Santulus ponat Infantem in terra, & Sacerdos legat super eum.

Æternam, ac justissimam pietatem tuam deprecor Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui & auctor luminis, & veritatis super hunc famulum tuum N. largitatem tuæ benedictionis infundas: ut digneris eum illuminare lumine scientiæ, & intelligentiæ tuæ. Munda eum, ac sanctifica. Da ei scientiam veram, ut dignus efficiatur accedere ad

 gra-

a Pœnitentiarum, quas Catechumeni subibant, ritus iste speciem quamdam præsefert. Ipsos enim Infantes quamdam pœnitentiæ umbram ante baptismum olim suscepisse nos edocet s. Hildefonsus Toletanus Archiepiscopus, qui lib. annot. de Ord. Bapt. cap. 1. sic ait: *Hi*, scilicet Catechumeni, *si majores ætate sunt cum actione pœnitentiæ veniunt, si minores sunt in signo pœnitentiæ per stramenta ciliciorum a ministris deducuntur ad Sacerdotem, ut qui per se non possunt agere pœnitentiæ signum, propter ætatis minimæ tempus, & hoc teneatur in pœnitendi effectu, quod notatur in pœnitentiæ signo.* Quum vero præter cilicium volutatio in pulvere, cervicum inflexio, ac χαμευνία, idest humi cubatio Catechumenorum afflictationes fuerint; facile crediderim aliquam ex istis innui a ritu nostro, quo ut alibi per stramenta ciliciorum, Aquilejenses Infantes humi jacentes pœnitentium similitudinem gerebant. Interim de multiplicibus Catechumenorum pœnitentiis vide, si lubet, Gregor. Nazianz. orat. 40. in sacr. Lavac. Augustinum ser. 13. ad Neoph. Cyrillum in Præfat. ad Catech. Mystagog. ac, ut alios Patres omittam, Josephum Vicecomitem Ambrosiani Collegii Doctorem, qui lib. 3. De antiq. Bapt. rit. ac Cærem. cap. 11. & 12. hanc spartam uberrime exornavit.

gratiam Baptiſmi tui, teneatque firmam ſpem, doctrinam ſanctam, conſilium rectum, ut aptus ſit ad percipiendam gratiam Baptiſmi tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Nec te lateat Satanas imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi gehennam, imminere tibi diem ſupplicii ſempiterni; diem, qui venturus eſt, velut clibanus ardens, in quo tibi atque univerſis Angelis tuis æternus veniet interitus. Proinde pro tua nequitia damnate atque damnande recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo vivo, & vero. Da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus, & Spiritui Sancto paracleto, in cujus nomine atque virtute adjuro te, quicunque es ſpiritus imunde, in hoc jacentis corpore conſtitutus, ut exeas, & recedas ab eo, fiatque vas mundum ad ſupervenientem jam nunc in ipſum Spiritum Sanctum. Sitque ei etiam templum Dei vivi, quem Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam, & benedictionem, fontemque baptiſmatis dono vocare dignatus eſt, ut fiat ejus templum per aquam regenerationis in remiſſionem omnium peccatorum. In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Hic elevetur Infans, & Catechizetur devote.

Medelam tuam deprecor Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui ſubvenis in periculis, qui temperas flagella dum verbe-

ras.

ras. Te ergo Domine supplices deprecamur, ut hunc famulum tuum N. eruas ab hac valetudine, ut non prævaleat inimicus usque ad animæ tentationem, sed sicut Job terminum ei impone, ne inimicus de anima ista sine redemptione baptismatis incipiat triumphare. Differ Domine exitum mortis, & spatium vitæ extende, releva quem perducas ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde cum sputo tangat nares, & aures, sic dicendo. Effeta, quod est aperire nares, & aures in odorem suavitatis, tu autem effugare diabole, appropinquabit enim judicium Dei.

Hic procedit ad fontem, & adducto Infante interroget eum de nomine ejus.

Credis in Deum Patrem omnipotentem, & Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum natum, & passum? ℟. Credo. *Interroget*. Credis & in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum; carnis [a] resurrectionem, vitam æternam. Amen? ℟. Credo. *Interroget*. Abrenuntias Satanæ? ℟. Abrenuntio. *Interroget*. Et omnis pompis ejus? ℟. Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus? ℟. Abrenuntio.

Tunc

a Sæculo IV, ut a Rufino accepimus, Expl. Symb., dogma idem Aquilejenses nostri uberius explicantes hujus carnis resurrectionem profitebantur.

Tunc Sacerdos faciat Crucem [a] *in pectore, & inter scapulas Infantis de Oleo sancto sic dicens*: Ego te linio Oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro, qui propitiatus sit tibi in vitam æternam. ℟. Amen.

Postea interroget ex nomine Infantis dicens. N. Vis baptizari? ℟. Volo. *Et dicat ter & confestim baptizet eum dicendo*. Et ego te baptizo in nomine Pa ✝ tris, & Fi ✝ lii, & Spiritus ✝ Sancti. Amen. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Et faciendo Crucem in vertice capitis cum Chrismate* [b] *dicat*.

Oratio.

Deus omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium

a Totum corpus olim perliniebatur. Adeundus Sanctus Cyrillus Hierosol. in Cat. 20. Mystag. 2. ubi hac de re sic habet: *Deinde vero sic exuti, exorcizato peruncti estis oleo a summis verticis capillis usque ad infima, & participes facti estis sinceræ oleæ Jesu Christi*.

b Post susceptum Baptismum statim baptizati Chrismate ab Episcopo ungebantur, sive confirmabantur. *Oportet*, ait Canon 48. Laodicenus, *eos*, *qui illuminantur*, sive ut legit Dionysius Exiguus, qui baptizantur, *post baptisma inungi supercælesti Chrismate, & esse regni cælestis participes.* Hujus disciplinæ apud primæ, & mediæ ætatis scriptores infinita extant testimonia, quæ recensentur a Ugone Menardo in notis ad Sacramentarium Gregorii pag. 144. additque: *nec ungebatur Neophytus in vertice a Presbytero, cum ejusmodi unctio instituta sit ob defectum Episcopi*. Verum apud Græcos ad hanc usque diem Presbyteri in frontibus baptizatos Chrismate tangunt. Ast etiam apud Latinos olim hæc consuetudo obtinuit præsertim in Sardinia. De hac re consulendus est D. Gregorius Epist. 9. lib. 3.

mnium peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis in Christo Jesu Domino nostro, ut habeas vitam æternam. Amen.

Iterum invocato de ejus nomine, & dans ei Sacerdos vestem dicat orationem.

Accipe vestem [a] sanctam, & immaculatam, quam perferas ante tribunal Christi, ut habeas vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Item det candelam in dextra manu Santuli dicens Orationem.

Accipe lampadem [b] ardentem irreprehensibilem,

a Vestes albas, quibus baptizati e fonte baptismatis educti induebantur, recensent S. Cyrillus Hierosol. Catechc. Mystag. 4. S. Ambrosius lib. de initian. c. 7. aliique quamplures cum Latini, tum Græci Scriptores. Vestem hanc in omnibus pene Ecclesiis septem diebus retinebant Neophyti, idest eam in Sabbato sancto egredientes de fonte baptismatis induebant, atque sequenti sabbato illa deponebatur. Hujusce disciplinæ testis est luculentus Augustinus ser. 157. de Dom. in oct. Pasc. *Paschalis solemnitas*, ait, *hodierna festivitate concluditur, & ideo hodie Neophytorum habitus commutatur, ita tamen ut candor, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.* Quam ob rem septem has dies *albas* vocabant, teste Rabbano Mauro lib. 5. de Instit. Cler. cap. 39.

b Neophytis olim cereos traditos fuisse in manibus refert s. Cyrillus Hierosolymitanus Catechc. 1. Mystag., ejusdemque ritus meminit s. Gregorius Nazianzenus Orat. 40. ubi Baptismi cæremonias describens in earum numerum cerei gestationem quoque reponit. Cereo septem diebus, quemadmodum veste candida, Neophytos olim usos fuisse clare expressit sæculo VIII. scribens Alcuinus de Divin Offic. de Sabbato in Albis, ubi postquam dixisset, quod Neophyti septem diebus vestibus albis uterentur, subjicit: *ita nostri baptizati extinctis peccatis prateritis ducuntur ad Ecclesiam columna cerei illuminata pracedente eos.*

ſibilem, cuſtodi Baptiſmum tuum, ut cum Dominus advenerit poſſis occurrere ei aula cœleſti. Amen. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Vade in pace [a].

Tibi, præſtantiſſime Pater, perfectæque perſpicientiæ tuæ libentiſſime ſubjicio quidquid hactenus morem tibi gerendi gratia de memorato baptiſmali Hieroglyphico ſermocinari ſum niſus. Singularis peritia tua in omni ſtudiorum genere, præſertim vero ſacra in Philologia, ſtatim diſcernet, num plauſibilis, beneque fundata ſit ratiocinatio mea, & perſpiciet inſuper quidquid ego, ut etiam atque etiam eam firmarem, adjicere potuiſſem. Judicium itaque tuum præſtolabor, ſimulque ea documenta, quæ in rem iſtam condita forte in magno eruditionis tuæ theſauro adſervas, ut ea tunc mihi ſint profutura, cum, ſicut alias innui tibi, de antiquis Baptiſteriis tractabo. Interim hæc pauca, quæ plurimis diſtentus curis præpropere collegi, humaniter excipe, meque, qui qua eximiæ virtutes tuæ digniſſimæ ſunt, æſtimatione te proſequor, amare perge. Vale.

Dabam S. Viti ad Tilaventum; IV. Kal. Aprilis ann. 1749.

a Hæc omnia pro re nata hic de Baptiſmo, ejuſque ritibus, ac cæremoniis recenſere placuit, ut magis magiſque eniteat, quam immerito Heterodoxi illos tanquam novos, & quaſi ſuperſtitionem redolentes explodant, eliminentque; quum contra a Patribus adhibitos, & nobis traditos fuiſſe ſatis, ſuperque exploratum ſit.

FINIS.

In Dissertatione Leop. Andrææ Guadagni de Florentino Pandectar. Exemplari. *Symbol. Tom. IV. pag.* 1.

		ERRATA	CORRIGE
Pag. 13	v. 10	*ne per sigla*	*ne per sigla*
14	v. 15	*cap.* 32.	*epist.* 32
14.	v. 16. & 20.	σημεῖων	σημείων
17	v. 20	δεύθερον	δεύτερον
20	v. 10	Judicium	Indicium
	v. 13	*lib.* 31.	*leg.* 31.
25	v. 6	*lib.* 15.	*leg.* 15.
	v. 28	, *in* §.	. In §.
27	v. 9	*causis*	*cautis*
31	v. 9	τὰ τάχος	τὸ τάχος
	v. 7	σημεῖων	σημείων
	v. 10	distico	disticho
	v. 14	conturbant	conturbant, συνταράττουσι
41	v. 5	obsevat	observat
48	v. *ult.*	IC. tum	J. C.
61	v. 6	Proæmio	Procemio
63	v. 2	hoc	hæc
68	v. *penul.*	*Ireum*	*Ircum*
69	v. 16	*ad l.*	*ad d. l.*
78	v. 28	abstulit	surripuit
	v. 29	duxit	tulit
96	v. 8	*idem*	*id em*
97	v. 13	Existimant	Existimarunt
100	v. 3	*eum*	*cum*
101	v. 14	*& qua*	*at qua*
106	v. 25	*Masasuli*	Masæsyli
112	v. 7	nulla	nullum
	v. 7	dignosci.	dignosci?
115	v. 22	*Plantium*	*Plautium*
116	v. 7	exemplar	exemplum
	v. 16	20.	*no.*
122	v. 27	representat	repræsentat
140	v. 12	insepxisse	inspexisse
	v. 22	ad ipsas	ipsas
141	v. 2	*coll'*	*all'*
148	v. 11	Nam	Num